

## HISTORIA

## SVEOGOTHICA

DEFICIENS

Et

RESTAURATA

EXERCITIO ACADEMICO

leviter exposita.

Cujus

PARTEM PRIOREM

*Cum consensu & approb. ampl. Facult. Phil.  
Acad. Aboensis*

Sub PRÆSIDIO

*Viri Cl.*

Mag. ALGOTHI A. SCARIN

Phil. Civ. &amp; Hist. Prof. R. &amp; Ord.

*Publico honorum examini submittit*  
Die VI. Novemb, MDCCXXXVI.

ERIC RENSÉN

*Wexionia-Gsthus,*

---

ABOÆ, excud. Joh. Kiämpe, Reg. Acad. Typ.

S:æ Ræ M:tis  
Regniqve Sveo-Gothici  
SUMMÆ FIDEI VIRO

Ac  
SENATORI,

Nec non

Academiæ Aboensis  
CANCELLARIO,

Illustrissimo Excellentissimoqve

HEROI

D<sub>N</sub>. ERNESTO  
JOHANNI

CREUTZ,

Comiti & Domino de ROSEN-  
BERG &c. &c.  
MÆCENATI SUMMO.

ILLUSTRISSE : CELSISSEQUE  
COMES.

**C**UM TE, excellentissime COMES, Cancellarium suum eminentissimum, Decus & tamen firmissimum, nullis non plausibus & acclamationibus excipit Helicon noster, exceptum suscipit,

spicit, colit, veneratur: cum præ gaudio omnis  
ad bonas artes nata patria soboles incalescit; ex-  
sultat: da veniam, obsecro! clientulo, in cete-  
ris ora solventi & ad gratiam deductæ in pla-  
num magnitudinis TUÆ, gradum molienti. Fa-  
cit ille vigor oris & animi TUI, & cum summi-  
tate fastigii contentio mira amœnitatis, quâ volun-  
tatem omnium diu promereri, ut quotquot TUO  
sub moderamine & umbra Purpuræ adolescimus,  
ad consecrandum NOMINI TUO primitias ingenii  
nostri festinemus, & in illo pietatis certamine ali-  
us alium antevertere anhelemus. Negotiorum va-  
rietate illustrium, eorundemque, quam pro captu  
nostro, sublimiorum TE indies distringi omnes per-  
norunt. Splendorem, quo venient ipsa, si non  
alia, abs culmine & proposito TUI convenien-  
di nos arcere debuisse fatemur. Verum cum hanc  
literariam rempublicam non indignam IPSE  
judicaveris, quæ TUAM moderandi spes atque  
fortunas illius prudentiam, TUAM in illius am-  
plificanda gloria indulgentiam liberalitatemque per-  
sentiscat: Non docentium modo industriam spe præ-  
miorum fovere & erigere, sed & discentium in illo  
sta-

stadio specimina requirere, adspicere, censere ipse, aliis  
q<sup>3</sup> commendare dignatus sis: en tibi COMES &  
CANCELLARIE illustrissime, tentamen juvenile,  
TUO sub auspicio succrescentis spei mea rudimen-  
tum, praterquam patriæ pietate TUÛq<sup>3</sup> celsissimi  
NOMINIS fulgore, alio merito, quo placere possit,  
nullo insuper commendabile. Est fundus, ubi mes-  
sis in herba isthac adolevit, mancipio TUUS. Si  
quæ sperantur incrementa, TUÆ gratia deberi in  
posterum quoq<sup>3</sup> concedere velis: ad robur & or-  
namentum studiorum & perinde feliciter obeun-  
dum vita hujus curriculum, summa omnia conse-  
quutum mihi in sinu gratulabor.

Illustrissimæ Excellentia TUÆ.

Subiectissimus cultor  
Eric Renström.

A  
MONSIEUR  
A D A M  
INGELET,  
CONSEILLER  
au Parlement Royal d' Abo.

**L** Es bienfaits, & les faveurs extraordinaires, dont il  
Vous a plu, Monsieur le Conseiller, m'honorer, pen-  
dant tout le tems, que j' ai eu l' honneur de demeurer,  
dans Votre noble maison, ne me permettent pas de l'aisser  
echaper l' occasion, qui se presente maintenant, Sans Vous  
assurer de mes tres humbles respects. C' est pourquoy j' ose  
Vous offrir ce petit ouvrage Academique, et mettre Votre  
celebre nom a la tête, tant pour Vous temoigner mes devo-  
irs, et confesser devant tout le monde, que je ne suis pas  
ingrat, que pour acquerir a ceste dissertation de la splen-  
deur et de la protection contre la medisance et la calomnie des

*mechants. Je Vous supplie, Monsieur, de l'agrèer, et de continuer Vos graces, et vôtre bienveillance toute particuliere envers moi. Letout Puisant daigne toujours Vous conserber en bonne santè, et Vous accorder toutes les prosper tès imaginables. Je me fais gloire a' etre avec beaucoup de veneration*

MONSIEUR

LE CONSEILLER,


*Vôtre très humble Serviteur*  
**Eriques Renström.**

Pereximie atque prestantissime  
Dn. R E N S T R Ö M /  
Amice æstumatissime

**H**istoriarum in universum lectionem suis cultoribus mi-  
ram afferre voluptatem utilitatemque, ad unum omnes,  
quotquot vel leviter illam degustarunt, fatentur; nec ulla  
est evo quocumq; dignitas indenta, negotium, ætas, quæ non ab  
illa suum splendorem arcessere desiderat. Maxime tamen a-  
pud omnes æstimationis pretiiq;e, idque summo & eminenti  
jure, habetur investigatio Patriæ annalium; cum ex illis de  
rebus Majorum nostrorum informemur præclare gestis, eorum  
exempla, veluti gloria stimulis, ad æmulationem recte fa-  
ctorum invitentur. Sed quo majora Patriæ antiquitatum in  
omni vita genere elucent commoda, eo magis eorundem vi-  
cem doleo acerbissimam; quod partim furore hostium, partim  
ignibus fortuitis, præcipue vero desidiâ recordiæq;e ignavorum  
hominum olim perierint & hodie quoque pereant. Tuam  
itaque amiciss. Dn. Rensströim in natale solum laudo piete-  
tem nunquam intermiseram, qui, notatis obelo defectibus,  
quos in patria historiâ observasti, ansam posteritati præsen-  
tiq;e seculo suppeditas amissa majorum nostrorum decora  
conquirendi & ad usum revocandi. Optant una mecum pii  
cives, ut brevi altera erudite tuæ Dissertationis pars, quæ  
defectus reparandi artem tradit, eorum usui & voluptati, qui  
eodem, quo Tu impetu feruntur in illas veteris ævi delicias,  
in lucem quoq;e prodeat. Quod reliquum est, gratulor tibi, a-  
mice exoptatissime, eruditione omnigenam, ingenii & industria  
thesauros prorsus singulares. Voveoq;e, ut Deus O. M.; studi-  
is Tuis, Patriæ honori dicatis sua gratiâ perpetuo adsit; Ti-  
big;e ex voto omnium bonorum, quæ virtus & doctrina tua  
meruerint præmia, largiri velit. Vale.

CONRAD R E N S T R Ö M





## PRÆFATIO,

**P**urimos vidit ætas nostra, eosque clarissimos rerum septentrionalium scriptores, qui ad restituendam orbis sui historiam omne & studium & operam conferre, non sunt gravati. Prætermisit labor eorum assiduus & indefessus fere nihil, unde lux aliqua ipsi poterat accendi, & densissimæ, quibus operiebatur, dispelli tenebræ. Sed deprehenderunt tamen, immo conqvesti sunt sæpissime iidem, utut perspicacissimi viri, ad ejus integritatem multam adhuc desiderari, & hiatus non uno in loco tantum occurrere, quantum, an ullus industriæ conatus refarcire, ullave medentium mantis unquam sanare possit, merito addubitarunt. Non est hæc querela recens, & nostro demum seculo orta: invaluit eadem præcis etiam temporibus, plurimisque eorum, qui ante nostram memoriam, res Sveciæ literis mandarunt, existit communis. Meminit fortis illius deploratæ jam olim auctor hist. Gothr. & Rolf. (\*) dum inquit: *Saa seigia frodis*

men at morg sien than breiðti verk Hr. K. at ey sien skrifud i rþessiari saugu. Kiemur that mest thar til, at menn hafa thar ey sanmar frasaugur af: thui at thessi saga kiemur sst vid adrar saugur, seigia bana oc ey aller eins. h. e. tradunt eruditi, multas res gestas Hrolfonis R. hoc in opere non descriptas esse. Cujus ea potissimum est causa; quod vera de his nulla in promptu fuerint relationes historica. Hæc enim historia cum aliis minus congruit, eamque omnes uno non narrant modo. Quod si priore ævi hominibus multa memorabilia vetustate exolevisse visa sint, nostra ætas quid veri sincerique? Quam nostro seculo fidem certitudinemque venerandæ vetustatis lacinia, aut si dicere mavis narratiunculæ pollicebuntur? Interim cum recuperandæ quomodocumque sanitatis naturalis, prior illa vulgo breviorque via haberi soleat, qua affectæ valetudinis suæ initia & progressiones ægotans ipse sciverit: quantum mea valeat exilis minerva ad detegendum langventis historiæ nostræ defectus, specimine juvenili hocce experiri, in animum induxi; eo consilio, ut quo passim restitui cœperit, medicamine, reparariq; in posterum conveniens sit, alio tempore pro modulo virium mearum explicare queam. Dum vero difficilem locum istum elaborandum sumimus, b. L. omni modestia rogamus; velit innoxios nostros conatus boni consulere, & sicubi offenderimus, imbecillitati ignoscere ingenii, atque in mitiorem partem omnia interpretari.

Cap.

(a) Cap. 47.

3

CAPUT PRIMUM.

In quo consistat defectus ostendit.

Σύνοψις.

- §. I. De temporis divisione in ἀθλον, μυθικόν & ιστορικόν agit.
- §. II. Defectum temporis ἀθλῶν exponit.
- §. III. Mythicum tangit.
- §. IV. Historicum profert.
- §. V. Defectum commemorat scriptorū.

§. I.

NOTISSIMUM est auctores, ut faciem historiae per omnia tanto facilius dignoscerent secula, trianam excogitasse temporum dimensionem. Aliud nempe fecerunt ἀθλον, aliud μυθικόν, aliud denique ιστορικόν. Quam quidem distinctionem, ut ad alias alii; ita ad nostram nostri quoque scriptores passim adplicare cœperunt historiam, licet in definiendo termino a quo & ad quem cujusque intervalli, identidem variant nonnulli. Nos cum celeb. historiogr. VILDE in hist. pragm. tempus ἀθλον a prima populorum origine his in locis, ad tempora usque Odini illius, qui paulo ante nativitatem Christi huc advenit, & posterior dici consuevit, extendimus. Mythicum deinde cum hoc ipso cœpisse, & ad Ingialdum regem, qui seculo VI. post Christum natum in hac gente floruit, durasse arbitramur. Et historica demum ævo, quidquid ad nostram memoriam superest temporis spatium, deferimus atque reservamus.

A 2

§. II.

**H**As omnes quicumque percurrere velit periodos, ægre profecto inveniet, quo pedem tuto figat, exceptis solummodo seculis quibusdam, iisdemque novissimis, temporis puta historici. Quod enim *primam* attinet, vel ipsa *ἱστορία ἀνάγκη* appellatio sat innuit, quanta laboret historia illius ævi incertitudine, quantaque deficientis vastitas circumquaque obveniat. Qvis ex. gr. fide historica primam gentis nostræ originem, siye potius primum in has oras accessum, definit traditque? ex quibus, quæso, genuinis, & post tantam temporum injuriam ad huc residuis commentariis notitia de primis haurienda est incolis: quæ eorum fuerit religio, quis vitæ modus, quale imperium, quæ denique factorum celebritas extiterit? Qvis reges & imperantes hujus ætatis justa serie enumerabit, & quid quisque seculo dignum, quid posteritati fructuosum gesserit, exponet? Ipsi tituli & nomina eorum, qui hoc vixerunt ævo, plerumque latent, quanto magis res eorum gestæ? Nosmet quidem non fugit, *JOHANNEM MAGNUM* in hist: sua reges recensere plurimos, quos tradit per hoc tempus imperio præfuisse in patria nostra, eumque non certos solum annos regiminis cuique assignare; sed & sua singulis adscribere acta & præclara facinora. Ast observarunt dudum eruditi, illum ex nimio erga patriam amore modo, modo *SAXONIS Danici* vitiosa æmulatione, eorum pleraque, si non omnia, vel ex periodis

riodis ætatum sequentium commutasse, & serie pro-  
lubitu conficta quacunqve translocasse: vel vanita-  
te ostentationis indigna eundem composuisse, &  
pro vulgato seculi illius more, fide haut bona po-  
steris obtrudere non verecundatum fuisse.

§. III.

**Q**Uod de *adelo* diximus, idem fere de *myrbico* pro-  
nunciare forte licebit. Latent & hic plurima ho-  
minum facta oblivione sepulta. Et si quorundam su-  
perfit notitia, non nisi confusa ea est, & fabulis ita  
permixta, ut ad justam historię compagem, non  
raro illa quoque exiguum usum præstare potens sit.  
Oportet, felicissimi sit ingenii, quisquis ex istis glan-  
dibus pabulum elicere voluerit. & profecto pericu-  
lum est, ne historię, quem quærimus nucleum, nul-  
la sæpe oculorum acie assequi queamus; sed cortice  
tantum, h. e. meris fabulæ verbis, in veritatis locum  
infectis, contenti esse cogamur.

§. IV.

**N**EC ipsum denique quod *historicum* audit tempus,  
aliud licet promittere videatur titulus hujus pe-  
riodi atq; inscriptio, omnia habet aperta, eave, qua  
necesario requiritur *anquisitio*, ubique exposita. In illo  
quoque, si dicendum quod res est, crebræ depre-  
henduntur lacunæ & ingentes sæpe hiatus. *Epo-  
cham*, inquit *Celeb. VILDE (b)*. *temporis historici or-  
dimur ab Inghaldo, non quod plana sint & indubia, aut  
historica fide tradita omnia ejus ævi facta; sed quod ad  
ea potissimum, qua ad statum reipublicæ spectant, histo-  
rica*

vici illustrari fide possint, si ad scriptas exigantur leges, quarum hic coincidit epocha. Neque hoc immerito. Si enim historicos veteres, quot & quales sint juxta cum recentioribus contenderimus, ad tempora usque introductæ religionis Christianæ, adeoque per haut exiguum temporis spatium hujus periodi, nullam dari certam & infallibilem notitiam de serie, successione & rebus gestis regum, plurimos eorum ingenue fateri videbimus. Ut nihil dicam de confusione & difficultate, quam nemo nescit, etiam post cœlestem doctrinam introductam obvenire omnibus illis, qui ordinem, quo primi reges Christianismi invicem semet exceperint, quid domi militiaeque præclari gesserint, definire cupiunt. Quid? quod hiulca, fallax & mutila deprehenditur omnis fere, quæ per totum ævum pontificium exarata fuit historia, si res respiciamus civiles, ut pluribus postea commemorabitur.

(b) *In hist. pragmat. c. 3: Sect. I. §. 3.*

§. V.

**D**E his vero ambigere nemo facile potest, qui ipsos deficere scriptores & historicos considerat, ex quibus cognitio rerum memorabilium esset petenda. Et si qui sint, incitiam & temeritatem ad scribendum modo, modo animum præjudiciis superstitionis faucium plerumque omnes attulisse, ex sequentibus patebit (c). Certe, si singulos illos, qui ad tempora usque reformationis opera historica reliquerunt, & quorum curæ

curæ ad nos pervenerunt, respicere voluerimus,  
 negari vix ac ne vix quidem potest, & numerum  
 eorum admodum esse exiguum, & ea, quæ in  
 illis tempora antiquiora concernunt, ambigua esse,  
 & mythica illa Varronis ætate non multo clariora.  
 Nam præter scriptores pontificios & monasticos,  
 non nisi relationes quasdam *SAGARUM* habemus, Ed-  
 damque *Sturlei*, & *SAMUNDI* illius, qui seculo XI,  
 in Islandia pastorem egisse perhibetur, ex quibus  
 præteriti tanti & tam vasti temporis memoriam  
 haurire possimus. Quid? quod harum interdum  
 nec nisi lacinia existant & fragmenta, eademque  
 adeo sæpe exilia, obscura & confusa, ut vix con-  
 jecturas nobis relinquant probabiles. Ipsa, de qua  
 modo diximus, quæque tanti nobis est *EDDA*, non  
 nisi spicilegium esse deprehenditur ex antiquiore  
 quadam *EDDA* deperdita, quam circa, aut saltem  
 non multo post tempora Odini sæpius commemo-  
 rati composuisse creditur, vel *SAMUNDUS* quidam,  
 ad differentiam illius, cujus modo mentionem in-  
 jecimus, prior dictus (*d*), vel alius quispiam; cujus  
 vix millesimam partem in recentiori nostra superesse  
 passim conqueruntur antiquitatis Mystagogi. Idem  
 quod de aliis ejusdem numeri scriptis non incon-  
 grue quis judicare poterit.

(c) *Confr. cap. 2, §. 4, 5, 6.* (d) *vid. diss. de vet.*  
*Gotb. sapient. p. 29.*

CAP.

## CAPUT SECUNDUM.

In causas defectus inquiri.

Sect. I.

Generalis.

Σύνοψις.

- §. I. Historia conscribenda intermissionem ab initio, causam primam defectus esse refert.
- §. II. Paucitatem scriptorum eam excipere probat.
- §. III. De difficultate veterum in colligenda & componenda vera historia agit.
- §. IV. eos multa fabulis obscurasse, ut & inscitia atque perverso studio pratermississe & permutasse tradit.
- §. V. Geographiam, Chronologiam & Genealogiam antiquorum deficere asserit.
- §. VI. Pontificiorum in historia contexenda tangit inertiam & temeritatem.
- §. VII. facta monumentorum enumerat ad tempora Christianismi.
- §. VIII. Eandem rem persequitur ad seculum post Christ. nat. XIII.
- §. IX. seculum percurrit XIII, XIV. XV & XVI. usque ad initium reformationis.
- §. X. Qua porro exceperint facta, ad tempora usque nostra, memoria predit.
- §. XI. De ruina lapidum runicorum conqueritur.
- §. XII. Direptionem luget atque desolationem collium sepulchralium & tumbarum cujuscunque generis.

§. XIII.



§. XIII. Invidiam & negligentiam privatorum quorundam perstringit.

§. XIV. Typographia penes nos impensas quam alibi majores, causam non minimam defectus illius esse ostendit.

§. I.

**M**irum forte cuiquam videri poterit, quod cap. præc. de defectu in historia gætis nostræ non nulla præmiserimus; sed si ad causas attendere voluerimus, & iniqua illa considerare fata, quæ alio atque alio tempore subiit res nostra literaria, pauperiem istam mirari utique desinemus, & quasi mutata scena, unusquisque mirabitur potius, tantam, quantam habemus, in præsentia residuam esse veteris ævi memoriam. In ceteris cladis literariæ illius rationibus, primo loco ponimus; eorum, quæ in primis temporibus vivere contigit, in historia sue ætatis literis consequenda oscitantiam & omnimodam intermissionem. Nostram non facimus controversiã, quo tempore post diluvium Scandinavia nostra inhabitari cœperit; hoc tantum asserimus, posse eam cum præcipuis Europæ regnis de antiquitate contendere. Quid quid vero sit, certum illud omnino manet, nisi velimus statuere eam simul & semel incolis repletam fuisse, primos, qui in hunc orbis angulum catervatim immigravere aborigines, numero pauciores omnino fuisse, & per aliquod temporis spatium in statu vixisse domestico. Aureum quidem & felix omnino hoc ipsis seculum esse potuit, quo nul-

la inter novos hospites exaudiebatur bellandi libido, nullus ab injuriis & invasione aliorum timor, nulla denique habendi cupido; cum sufficeret omnibus hæc terra, tutique viverent & securi; per sylvas numerosas & aspera montium juga se juncti a reliquis, quæ per totum orbem dispersæ erant, gentibus. Sed in eo tamen infelix deprehenditur ætas illa pristina, quod tum, saltem circa initium, nemo inventus fuerit, qui res memoria dignas in literas referret. *Quid enim, inquit, magnus noster RUDBECKIUS pater (a) adtinuit tum historias scribere, cum habitarent hinc illinc homines opido pauci, & negotiis suis domesticis, venationibus, piscationibus, aliisque ad rem familiarem curandam pertinentibus officiis, tantum dediti, apud quos quid rerum aliis in locis gereretur, plane ignorabatur.* Temporis vero successu, cum bella increbescerent, adeoque res ipsa vetaret splendidiora virtutis specimina aboleri, verisimile videtur omnino majores nostros, quibus, dicente KRANTZIO, (b) non vulgaris amor perennis famæ fuit, anxie de eo sollicitos fuisse, quomodo possent monumento aliquo literarum, ad posteros sui temporis facta heroica transmittere. Sed retardatum fuisse hoc illorum laudabile propositum, per defectum chartæ nondum inventæ, eo usque, dum brevem quandam hominum & rerum ab illis gestarum memoriam, rupibus & saxis inculpere cœperint, non possumus non suspicari. Interim in  
valuit

valuit seculis istis primis mos, per traditiones (no-  
 stris *fratragur* sive *forofradi*) & oretenus saltem,  
 quæ videbantur memorabilia acta, leges & insti-  
 tuta majorum promulgandi, atque cum hominibus  
 sequentis ævi communicandi. Quam consuetudinem  
 per longum tempus deinceps viguisse existimare li-  
 cet, tanto ad veritatem majori similitudine, quanto  
*CANONICUS* ille *BREMENSIS* etiã, qui circa initia Chri-  
 stianæ religionis apud nos scripsit, testatur se præ-  
 cipua eorum, quæ in commentarios referret, o-  
 rali relatione fideque *SVENONIS ESTRITII* regis acce-  
 pisse. Illud quod neque negat *SAXO*, cum ex re-  
 latione *ABSALONIS* archiepiscopi Lundensis, ejusdem-  
 que militiae cum pedestris, tum quoque maritimæ  
 præfecti summi, sua se hausisse fatetur. \* Ne re-  
 liquias commemorem talium traditionum, quæ  
 etiamnum superesse videntur, iam narratiunculis  
 vulgi, Svet. sansagor / quibus regum regulorumque  
 antiquorum contineri res gestas, licet immane  
 quantum confusas, quivis probe animadvertens fa-

B 2

cile

\* Fuisse hoc etiam apud alios in usu, vel ex annali-  
 bus Christiane ecclesie vetustis animadvertere licet, ubi fi-  
 dei nostre Symbolum, quod Apostolicum audit, neque ta-  
 bulis exarare voluere Veteres; sed solam memoriam suam  
 Symboli codicem habuere. vid. Hieronym. Ep. 61. 9. &  
 Augustin. lib. de Symbolo. Cujus tamen facti ea forte fuit  
 ratio, ne in literas relatum infidelibus, Judeis puta gentili-  
 busque scandalo esset, ob mysteria, quæ completitur.

cile perspicit. Quantum vero passa sit hinc detri-  
menti historica nostra certitudo, neq; difficulter adpa-  
ret. Nam, ut taceam multa tum forte neglectim ha-  
bita, adeoque memoria atqve relatione minus di-  
gna fuisse visa, quæ tamen, ceu majoris ponderis  
atq; momenti acta, nostri temporis historici, si habe-  
ri possent, necessario requirerēt: quis non videt, ipsas  
has traditiones, hominibus decedentibus, sensim ex-  
cidere, obliterari & penitus tandem evanescere: vel,  
si quæ earum in posteritate superesse potuerint vesti-  
gia, eadem fabulis obturari, & quibusdã vel additis  
vel demtis, eodem negotio confundi potuisse? Quem-  
admodum adhuc hodie eandem sortem esse vide-  
mus eorum, quæ ante annos aliquot gesta sunt,  
& plebeja narratione vulgi ex uno in alium trans-  
mittuntur. Quod si nostro contingat ævo, quid  
ab antiquis expectandum? (b) Simul atqve certa  
norma dicendorum deficit, ad quam exigere cun-  
cta oportet: dici nullo modo potest quam facile nunc  
addantur quædam, nunc omittantur, ut medico tem-  
poris elapso intervallo, alia longe, quam quæ ini-  
tio fuerat, rei atqve doctrinæ facies enascatur.

(a) *Act. tom. 1. C. 6. §. 11.* (b) *Chron. Specia lib. 1. cap. XI.* (c) *Confr. Plato in Crit. p. 109.*

§. II.

**E**Xcipit hanc primam & quasi primipilarem  
causam, defectum puta scriptorum, eorundem  
pristino tempore paucitas. Quo tempore introductus  
sit

sit mos, in literas ea referendi, quæ memoria vi-  
 debantur digna, difficile est dictu, quum apud u-  
 nam gentem prius, apud aliam serius, illius ve-  
 stigia habeantur. Præter illam lapidum runogra-  
 phiam, quæ omnino perantiqua ratio fuit pro-  
 pagandæ memoriæ apud nos, cujusq; initium nul-  
 lo modo præcise definire valemus (conf. §. præ-  
 ced.) *Scaldos* constat jam inde ab antiquissimis re-  
 tro seculis, res gestas heroum nostrorum omnium  
 primos carmine sive rhythmis complexos fuisse;  
 quorum tamen effata literis ab initio mandata non  
 sunt, sed memoriæ tantum vulgi inscripta, ejusque  
 saltem celebrata præconio. Unde etiam cum tradi-  
 tionibus, de quibus § præc., simile habuere fatum,  
 ut nempe longa interveniente temporis mora flu-  
 xuque, vel penitus interciderint, vel etiam non ni-  
 si consulam & obscuram sui memoriam reliquerint.  
 (d). Abierunt hi scaldi in castra ipsa, quo  
 expeditiones & prælia, nec non fortia facta re-  
 gum heroumque observare & cum cura magis an-  
 notare possent; factumq; tum demum ut carmina li-  
 teris exarari cœperint, quo ab interitu magis secure  
 vindicarentur & ad posteritatem transmitterentur.  
 Et illorum ordinem tandem secuti sunt alii, qui  
 sermone vulgari & soluto, non numeris adstricto  
 aliquo, animi consulta & facta principum exem-  
 plo profutura, perscripserunt. Quæ quamvis habu-  
 erit primordia historia nostra, illa nihilominus re-  
 ce-

ceptissima est opinio, hos scriptores in patria quondam fuisse admodum raros, & majores nostros potius præclara faciendo, quam scribendo gloriam sibimet acquisivisse (e). Cumque sit illud indubitatum, ad seculum usque reformationis ex indigenis pauciores superesse, qui de vera historia gentis contexenda bene mereri voluerint (f) concludere non ægre quisque potest, res multas præclare gestas, etiam post id tempus, quo scriptores penes nos existere cœperunt, legem mortalitatis & oblivionis cum hominibus eandem subiisse, propter paucitatem eorum, qui historiæ scribendæ vacarent. Interim videtur non illud temerarium modo, historicorum numerum exacte inire velle, postquam tot annales & egregii sætus ingeniorum periire, ut postea commemorabitur; verum omnis illa ejusdem loci quoque præsumptio esse videtur, qua ex egestate scriptorum concludere sustinent nonnulli gentem nostram omnium maxime fuisse barbaram, & a studiis, cum his, tum quoque aliis, aversam. Adeat, qui vult, aliorum populorum pervetustas res, & fatebitur mecum, apud singulos, primum nullos, deinde paucos omnino, eosdemque æque ac nostros fuisse obscuros scriptores, exceptis solummodo Judæis. Certe si verum est, quod tradit SCHEFFERUS (g). postquam in tabulas referri cœpere acta hominum, præcipue majorum, neminem Scaldum fuisse dictum, nisi qui opus aliquod conscrip-

pte.

psertit; contendere possumus non infeliciter cum gentibus tantum non omnibus, de numero scriptorum, quia historiam antiquam; quum, ut antea dictum, scaldorum monumenta potissimum *historica* fuerint, & longus apud *WORMIUM* aliosque eorundem catalogus praesto sit, ipsi licet, quam ipsa respublica, eandem cum scriptis suis fati legem, easdemque alio atque alio tempore experti sint vices. Ut taceam, omnes tere antiquos nostros scriptores, ad historicos provocare, qui jam plerumque deperditi sunt (b).

(d) *Vid. Verelii not. ad hist. Herv. p. 4.* (e) *videat: Scheff. in praefat. ad Svec. lit.* (f) *contr. Cap. 1. §. 4.* (g) *Svec. lit. p. 3.* (b) *vid. auct. hist. Herv. Sturl. praef. ad hist. reg. sept. Rudb. Atl. t. III. p. 71.*

### §. III.

**H**uic confinis est alia causa, *difficultas*, nempe, *que primis historiae conditoribus fuit, in eadem, serie justa, & qua par erat fide, contexenda.* Non potuerunt non, qui primum huic negotio manus admoverent, ex traditionibus sua colligere. At quum haec ipsae, prout antea demonstravimus, temporis successu magis magisque redderentur obscurae, mutilae & proinde etiam suspectae, liquet facile, historiam eorum non potuisse nisi imperfectam & obscuram evadere; cujusmodi enim ipsis sese offerret metallum, licet adorandae rubiginis, tale & non aliud in rationes & commentarios suos referre potuisse, *inge-*

ingenuus quisque videt. Unde liquet veteres sæpe immerito erroris accusari a nobis, cujus ipsi auctores non fuere.

§. IV.

**V**erum ab omni culpa tamen liberandi non sunt hi scriptores antiqui. Ad methodum enim & modum scribendi quorundam si attendamus, aliquam utique ibi latere defectus originem fontemque, non possumus non suspicari. Carmina Scaldorum antiquissimorum simpliciora fuerunt, adeo ut parum inter ea & vagam quamcunque orationem interesse videri possit; posteriores vero obscuritatibus carmina sua studio involverunt, ut a vulgo artis Scaldicæ imperito, sine expositione, quæ dicta fuit Urstyring / non intelligerentur; immo, ut loquitur VERELIUS (i) rhythmum magis adtrinxerunt, verborumque trajectionibus longioribus & peculiari caractere insigniverunt. Hoc vero artificium, utut in magno illa ætate pretio fuit; carminibus strophisque minus intellectis, fastidium illud tamen interitumque, opinione citius acceleravit. Dudum etiam observatum est veterum plerosque, ænigmati-

\* SCALDIS reliquorum populorum septentrionis Runas seu cantilenas Fennorum vetustas respondisse Chronici Finlandiæ auctor anonymus censet; sed qui cum agnoscat populum, cetera prudentem, indigenis scriptoribus destitui, quod patriæ laudes posteris proderent, & super rebus gestis majorum suorum se non nisi ad finitimarum gentium historicos tuto provocare posse, quantum ex illis, puta Runis solida veritatis sperari possit, quisque videt.



cum dicendi genus adhibuisse & fabularum involu-  
cris, ut multas alias res; ita & facta regum & he-  
roum suorum abscondere studuisse. Quod apud  
nostros, perinde ac alios, specimen habebatur re-  
conditæ eruditionis & sapientiæ: & cuiusm: mytho-  
logiæ etiam ille, quem antea nominavimus, Odinus  
posterior, præcipuus fuisse auctor, atque ex Asia in  
patriâ nostram secum introduxisse existimatur. Quâ-  
tum vero instituto illo, historica nostra fides labefa-  
ctata & prope afflicta fuerit, facile est iudicatu,  
quantasque memoria dignissimas res gestas fabulæ  
operiant, auferant & letheo penitus submergant  
flumine. \* Etenim accidit tere semper scriptoribus,

## C

qui

\* *Observari hic meretur Sueticum nostrum nomen SAGA, quo veterum quasdam historias insigniri novimus, non eo, quo a multis hodie accipitur, sumi debere sensu, pro fabula nempe vel incerta quadam narratiuncula. Nostri etenim majores, per hoc idem intellexerunt, quod nos jam per historiam dictum volumus. Ea vero potissimum, spe dubio, usi sunt voce propterea, quod ex traditionibus hæc ipsas colligere cogentur. Saga enim, cum nostro Signi (traditione) coincidit. Et si quasdam sint, quæ in illis videntur fabulosa, originem ex sæpius commemoratis traditionibus plerumque ducunt, totamque incertam reddere historiam non possunt. Alias pater historicorum Herodotus, in quo, teste Cicerone, \* multa fabulæ, & plerique alii veterum, dubii maxime & fide omni haberentur indigni.*

\* lib. 1. de leg.

qui scribendi genere isto usi sunt, ut cum involu-  
 cris rerum atque sententiarum ingeniosi esse volue-  
 runt, dicenda multa eademque dignissima dictu saepe  
 prætermiserint; quæ novis atque alienis deinde, iis-  
 demque numero Platonis obscurioribus saepe permutata  
 fuerunt? Quemadmodum, id ipsum inter alios, jam  
 ante SCHEFFERUS observavit (k) qui refert, eos præ-  
 ter regis, & unius tantum aut alterius ducis vel con-  
 siliarii nomen, in commentariis suis nil fere expo-  
 suisse, reliquorum omnium & nomina & facta si-  
 lentio indigno involuisse. Id quod de historicis qui O-  
 dino ipsi propiores fuerunt, in primis dicendum venit.  
 quos per ambitionem ex proprio multa confinxisse,  
 cetera vero mutasse & obscuris ambagibus inexpli-  
 cabilia reddidisse, constat. *Peringskiöldio* filio certe  
 non dissentiente, qui si ex Enniano putido illo, au-  
 rum aliquod quærendum sit, facessere vaniloquia  
 & prudentem rerum delectum habendum esse mo-  
 net, ne nobis allegorica imponant, aut hyperboli-  
 ca passim, grandiori incedentia cothurno. (\*)

(i) vid. not. ad hist. Herv. p. 4. (k) Ulf. ant. C. XX.  
 pag. 396. (\*) *Asmund Kappalanes Saga* pag. 35. fin.

§. V.

**L**uculentius hæc omnia patebunt, quum histo-  
 riam in tota sua latitudine, & cum suis cir-  
 stantiis res ab iisdem descriptas altius considerave-  
 rimus. Ut enim, quæ circa ætatem, incunabula  
 & denique commorationem illustrium hominum

versantur scientiæ. *CHRONOLOGIA*, *GEOGRAPHIA* & *GENEALOGIA*, oculi prædicantur historiæ; ita cum illis vel penitus privatur luminibus, vel alio quocunque vitio vis & acies eorum intercipitur, non potest non ea ipsa, puta historia, omnino cœcutire, ad incertitudinem dilabi & demum deficere. *CHRONOLOGIAM* ut aliæ omnes vetustissimæ gentes ubique fere omiserunt; ita nostra neque illius aliquam rationem habuisse deprehenditur. Antiquis enim, non perinde ac nobis certa aut determinata aliqua æra fuit aut temporis intervallum, a quo inciperent, & ad quod currentis ævi memorabilia quæcunque redigere possent; sed si quam identidem adhibuisse chronologiæ speciem videri voluerint, quod tamen raro deprehendimus, respiciebat illa solummodo imperium ejus, qui regnavit, adeo ut non nisi quo anno regiminis illius hoc vel illud contigerit, memoriæ proditum inveniatur; ad quod *IPSI*, puta principes, laxissimi ævi dimensum pertinuerint, perinde non curarunt neque examinarunt. Quæ ratio tradendæ historiæ, quantum in illa rerum orbis & ævi vastitate afferat lucis, an vero caliginis, nemini obscurum esse potest. \* In *GEOGRAPHIA*

C 2

lon.

\* *Observat nob: Dornhielm / chronologiam etiam exo pontificio neglectim habitam fuisse, precipue bullas refert papales & alias eo tempore perscriptas tabulas, cauda h. e. die & anno, quo data essent, mutilatas reperiri. Certe imperitiam ac negligentiam veterum hac in re, æ.*

longitudines & latitudines locorum, fuit ~~entum~~ omnium in illa doctrina scientiæ explorata, in suis sapissime præteriere scriptis, vel etiam, cum partes minus necessarias penitus neglexerunt. Hinc in descriptione populorum, urbium & regionum nostri septentrionis, ea ab illis adhibita cernere licet nomina propria, quæ tempore, quo jam vivitur, partim evanuisse deprehenduntur, partim ignorantia, æmulatione & superstitione monachorum, aliis atque aliis permutata sunt & adulterata. Præcipue vero extranei, quorum candori atque fidei plurimum, quæ in historia nostra occurrunt, memorabilium rerum notitia unice superstructa est, (1) urbium plurimarum atque locorum mentionem injecerunt, quorum nulla amplius apud nos supersunt vestigia. Sine dubio, quæ nostris *appellativa* fuerunt vel *communis* vel *pœtica*, ipsi ut *propria* sæpe receperunt vocabula, & occasionem exinde, sicut personas, ita oppida quoque & regiones alias super alias, quas nunquam vidit orbis, faciendi fingendique arripuerunt. Dubium itaque scèpissime hæremus, hic vel ille locus, qualis ab antiquis descriptus est, an unquam existiterit, vel, si hoc, utrum hunc vel alium intellexerint, eundem hæ gentes, an vero aliæ olim infederint. \*

Liternæ noctis tenebras ingredi fecisse res eximias multas, nobiscum ingenue fatetur vir nobilissimus.

(\* ) Exempli loco esse potest, quæ quondam dicta fuit

Litigamus de vocabulis & nominibus locorum, juxta cum ignarissimis prope nescientes, quibus res, quæ ibi memorantur gestæ, revera sint applicandæ. Quod *GENEALOGIAM* denique attinet, adhibitam quidem videntur in expositione rerum memorabilium ab antiquis interdum; sed pro rei tamen necessitate, ut nobis videtur, nimis parce & confuse. Quamvis facile largiamur, non semper in scriptores omnem culpam, vel defectus vel confusionis, quod ad hanc disciplinam, conjiciendam esse. Si enim Ordinum sæpius commemoratum respiciamus, certum est, obduxisse hunc eundem tantam illi doctrinæ, & quæ inde haurienda esset notitiæ caliginem, quantâ necesse est non veterum minus, quam recentiorum conatus in præteritis expiscandis dignoscendisque, mirum in modum retardatos fuisse, im-

mo,  
 Ridgothia, quam celeberrimi viri Verelius & Lundius, Smolandiam nostram habent; translator vero aribivi antiq. hodiernus clariss, Dn. Biörner Herdaliæ & adjacentes quasdam paræcias facit. Sed quam controversiam jam non vacat attingere. Hoc obiter dixerim me capere peregre posse, quomodo Gotbia aliqua quærenda sit extra terminos regni Gothici, nisi velimus statuere, Gothos ex patria sua abiisse, & sicut in dissitis peregre locis; ita in hac parte Suediæ borealis aliquando novas sedes fixisse, & hinc Ridgothiæ nomen loco, quem occuparunt impositum esse. De qua tamen veterum majorum migratione, quantum scio, nulla superest notitia. Conf. Peringskiöld in præf. ad frag. hist. Suet. Sagubrott.

mo penitus turbatos. Scilicet, ut accesserat im-  
 postor hic in patriam nostram, & magno ejus æta-  
 tis incolas civesqve cultu prosequi Odinum qven-  
 dam, qui primus inde dictus est, audierat: illico  
 subdola calliditate confinxit, se hunc ipsum Odinum  
 esse, & asseclas suos Trojanos illos, quos tanti fe-  
 cissent majores Scandiani, & quorum, qui nunc vi-  
 verent longa serie posterum, neque ipsi penes se exo-  
 lescere sinerent sive religionem sive memoriam. Ut  
 autem nihil superesset plane, quo impudens illius  
 mendacium nudari posset, qui ante & circa sua tem-  
 pora fuerant catalogos & series familiarum illustri-  
 um, vel penitus destruxit, de quo postea, vel immu-  
 tavit & corruptit. Genealogiam Odini, quem modo  
*antiquum* diximus, totam ad se transtulit, sibi adplicu-  
 it, ac tamquam suam in tabulas referri jussit: qui  
 sua ætate fortiter pugnantes acie ceciderant, san-  
 guinis & familiæ suæ subolem promiscue nuncupa-  
 vit: & cujuscunqve denique generis agnatos & co-  
 gnatos fere innumerabiles sibi vindicare non vere-  
 cundatus est. Nec quemquam fugere existimamus,  
 quam deinceps etiam per supereminentē & nimiam  
 regum Upsalensium auctoritatē passa sit cladem hæc  
 scientia nostra. Constat ex eorundem sive metu  
 sive reverentia, qui passim in provinciis regnarunt  
 reges minores ( nobis Salsis = seu Sidskonungar ) su-  
 as plerumque non ausos fuisse profiteri familias, ea-  
 rumve originem aut seriem monumentis literarum  
 posse.

poſſeritati coſſendere (m). Illo quo fato caſuque iterum pater, plurium cum regum, tum quoque aliorum illuſtrium virorum memoria injuſtis tenebris damnatam fuiſſe, & ita ſuppreſſam. ut ipſum vix amplius ſequentis ævi hominibus innotefcere potuerit nomen eorum, multo minus tota proſapia atque progenies. Præterea cum multi reges regulique, non ſolum deprehendantur cum aliis nomina habuiſſe communia; ſed & uni regi, pro diverſitate temporis, factorum atque morum (ex quibus tum cognomina plerumque imponebantur) plura indita fuiſſe ſive nomina, ſive cognomina: \* quis non videt, diverſiſſimarum ſtirpium & familiarum rationes exinde committi, tempora confundi nullo negotio potuiſſe, & demum incertitudinem hiftoriæ quam maximam exturgere? Hinc eſt, quod non unum tantum pro alio identidem ſuppoſitum regem cernere liceat, & quæ propria fuere uni, eadem alteri mox adplicata facta; \*\* ſed ex cognominibus aliis atque aliis uni-

us

\* Ex gr. qui tempore belli nuncupatus eſt Othin, ſub pace, quum ſubjectis jus diceret, dictus eſt Thor: Quem quidam Milldunger b. e. clementem nominarunt, ab aliis vocatus eſt Hilmer b. e. galeatus ſive fortis. Et ſic porro. Vid. præf. præmiſſ. hiſt. Hialmt. & Olver.

\*\* Ita in biblioth. Sveth. Nettelbladiana V. tomo, pag. 61. Dn. Doctor Ol. Celfius ex eo, quod Saxo de genere Haraldi Hildetanni diverſa tradat a ceteris monumentis ſeptentrionalibus, apparere ait, diverſos fuiſſe ſub eodem

sæpe regis, diversos interdum confictos fuisse imperâtes. \* Ne quid de illo veterû ut & proximorû temporû more dicam, qvo familias illustres nulla sibi pridem vindicasse propria cognomina constat, quibus a reliquis ipsi & res gestæ eorum certo distingvi potuerint. Inde non minus in errorem facilem lapsum sæpe existisse quis nescit? Factum crebro, ut alterius personâ alter gratis subierit : saltem ex qvanam fuerit progenie hic vel ille, dignoscere nemo aut investigare potuerit.

(1) *Conf. Chronicon Finl. vetus editum à Celeb. Nettelblad. Bibl. Sveth. 1, p. 115. (m) Monument. Palmiskiöld. p. 110.*

## §. V.

**N**Ec reticenda est *oscitantia & hallucinatio scriptorum pontificiorum*, quibus quantum illatum sit historiæ nostræ damni, incredibile est dictu. Non jam ruditatem temporum & ignorantiam eorum cum in aliis, tum imprimis historia justo modo contexenda, tangam. Obelo notanda potissimum

per nomine Haraldos, quorum gesta uni adaptasse Saxo videatur. *Conf. b. m. Spegel. Hist. Ecel. pt. 2. lib. 3. c. 1 p. 273.*

\* Exemplum habemus luculentum seculo X. post Cb. nat. in Olavi Skautkonungii parente Erico, quem nostrum nemo non novit Stenkiolum modo, i. e. est lapidem Ceravium, hodie Thorwigge: itemque arsell / annonæ felicem, æmum Segerfell / victoriosum, cognominatum fuisse. Ex illo vero uno eodemque rege, tres fecisse scriptores distinctos, ex contextu temporis illius historico patet.



perversitas illa, qua datâ opera plerasque res ge-  
 stas regum ejus temporis corruperunt, in pra-  
 vum verterunt, immo penitus suppresserunt identi-  
 dem. Prout enim illi *ὑπομνηματα* (cancellarii  
 & commentariis principum scribendis præfecti) ad  
 glebam curiæ Romanæ pleriq; pertinuerunt, neq;  
 alia probe laudabiliterque facta crediderunt, ni-  
 si quæ pietatem utilem promoverent, ac ecclesiam  
 suam ejusque status propagationem concernerent;  
 ita factum sæpe quoque invenimus, ut quæ iden-  
 tidem reges, cum suis administris strenue egerint  
 ad constituendam felicitatem publicam, eandemque  
 tuto loco collocandam, eadem prætermiserint, sal-  
 tem in invidiam & contumaciam adversus sedem  
 Romanam verterint; (n) quæ vero pontifex cum  
 suis zelotis pie moliti sint, licet ad superstitionem  
 & ambitionem comparata plerumque omnia, illa  
 iterum in suis commentariis omne punctum ferre  
 voluerint. Hinc est, quod spissa quidem volumina,  
 eaque pro ævi illius habitu, ventricosa passim &  
 ubique conscripta videre liceat, quæ tamen omnia  
 nil nisi vitis & legendis, ut vocantur, sanctorum,  
 eorumque miraculis ut plurimum confectis, dona-  
 tionibus item ac privilegiis ecclesiasticis, aliisque ejus-  
 modi avaritiæ & ambitioni privatim velificantib<sup>9</sup> re-  
 pleta deprehenduntur. *Fuit*, ut loquitur b; m; SCHEFFE-  
 RUS (o) *tum id tempus, quo conderet templâ & cœnobîa, inst: tuere*  
*collegia Sacerdotum atq; monachorum, locupletare redditus ec-*

clefiarum, bona sua dividere inter homines missa ac altari  
servientes, censebatur unicum, quod posteritati per lite-  
rarum monumenta esset commendandum. Hac trutina  
prope sola, omnia non regum modo, sed & alio-  
rum æstimabantur facta. sublatus fuit in cœlum u-  
nus, alius summis opprobriis & conviciis tradu-  
ctus, prout nempe vel in odium, vel gratiam a-  
pud hunc ordinem incurreret, & illius promote-  
ret commoda. (p). \* Hoc autem aliorum magis  
quam nostrum iudicium de conditione ævi atque  
historiæ pontificiæ, non tamen eo trahi volumus,  
quasi negare nobis propositum sit, aliqua apud scri-  
ptores hujus temporis reperiri sobria, sana & uti-  
lia. Fuisse hoc quoque seculo, quo ad suum ge-  
nium veteris ævi monumenta tantum non omnia,  
detorquere aggrediebatur superstitione crudelis, vi-  
ros discretos & veri amantes, qui historiæ susce-  
perint patrocinium, & ad pestiferam servitutem  
abjiciendam alios incitaverint, non facile quisquam  
inficias iturus est. \*\*

\* De Emundo Gammul rege Suethiæ, itemque archiepi-  
scopo Osmundo ab eodem Scaris constituto, res est notissi-  
ma: quod cum Bremensis metropolitani ignominiosam ser-  
vitutem admittere nollent, acephalus alter, ipse vero  
rox pessimus dictus & diu quoque habitus fuerit.

\*\* Adeat, cui otium fuerit, annales Bojorum Aventini,  
& eorum quæ diximus, sive exemplum sive testimonium non  
aliud illustre magis desiderabit.

(n) Confr. lit. gl. m. Regis Gust. I. ad M. Ol. Petr.

dat. Calm. d. 5. aug. 1541. (o) pref. ad Isr. Erl. libr.  
de vit. & mir. Erici. (p) vid. Vilde hist, pragm. c. 3.  
sect. 2. §. 9. mom. 8.

### §. VII.

**I**Nter cetera seculi mala, ad historiae nostrae defe-  
ctum plurimum illud quoque confert, quod in-  
finito numero annales & omnis generis monumenta ve-  
stera, nescio qua factorum lege, in pulverem & cineres  
reducta modo, adeoque penitus destructa: modo emula-  
tione & malignitate hominum indigenarum, tum quoque  
exterorum avulsa sedibus suis sint, eademque alienis de-  
inde Chartophylaciis conqueverint. Infelicissima patriae  
historiae fata enumerare, eorumque modorum cer-  
tam rationem inire, quibus commentarii rerum  
Sveogothicarum alio atque alio tempore absumti  
sint, licet supra virium mearum mensuram posi-  
tum agnoscam penitus; quantum potero efficere co-  
nabor tamen, ut ad seriem temporum praecipuae vices  
illae revocentur, saltem indicentur. Ut ab *Otbino*  
gentilitiae in aequilone superstitionis auctore, seu po-  
tius insigni novatore incipiam. Illum fabulis cun-  
cta fecisse obscurari, confundi & immutari, in an-  
tecedentibus diximus (9). Eundem omnia monu-  
menta, quae ante eum apud majores nostros fue-  
rant destruxisse, saltem situ atque senio emori pas-  
sum fuisse, quis insuper dubitaverit? non alio, u-  
ti facile apparet, sine, quam ut nullius, quernad-  
modum loquitur *TORFÆLUS* (r) eo antiquioris vel The-

ologie vel historia notitia apud posteritatem exstaret, sed suppressa & deleta omni, non solum religionis atque institutionis pristinae; sed ipsorum etiam, qui antecessissent hominum memoria, solus ipse imperium cultumque, cui imminebat, publicum & divinum obtineret. \* (s) Universalem hanc cladem excepit perverſa ipsorum regum emulatio quoque genealogias invicem sibi subtrahendi & derogandi, saltem confundendi. Quem ausum verbis sequentibus ERICUS Olai non obscure perstringit: (t) exacto inquit, sanguine regio, aut prevalente discordia, cum reges aliunde coepissent, illi occasione accepta, ut gentis nobilitatem redigerent ad occasum, & nomen regum a sanguine Gothorum auferrent, per subordinatos viros industrios, genealogias ubicumque repertas, subdola calliditate sibi tradi procurantes, omnem pene regiam posteritatem in oblivionem duxerunt. Hæc ille. Denique quotus quisque nesciens est, nullum hoc tempore certum designatum fuisse locum, ubi acta publica reponerentur & usui posterorum conservarentur: quin neque

\* Perverſum morem, puta, memoriam eorum, qui ante se vixerant abolendi, neque aliis principibus Asia oriundis, inusitatum fuisse, vel ex Morbioſo in Polyb. lib. I. cap. 5. liquet, ubi refert etiam apud Chineses tam flagitiosa ambitionis tyrannum fuisse nomine Xium, ut omnes libros Sinicos exuri jufferit, qui extincta omnium priorum imperatorum memoria, solus ille laudibus in posteritate extolleretur.

neque constitutum publice quemquam, qui curam eorum gereret, cancellisque, h. e. oculis distinctis quæcunque reponeret. Quo sive fato sive facto posito, quam facile perdi potuerint atque perire, obsecrum nemini esse potest, nisi conicere voluerimus, libros ejusmodi & manuscripta vetusta, in septentrione, quemadmodum apud alias multas gentes, in templis recondita fuisse unice & sacerdotibus demandata: ut antiquarum rerum, perinde atque mysteriorum notitia omnis, sacrorum mystis unice pateret, ceteris vero civibus ex servili conditione sua, puta recti ignorantia, emergendi, istiusmodi furto omnis præriperetur occasio. Verum licet vel supponamus istam invaluisse jam olim rationem conservandæ historiæ, quis non videt istiusmodi neque a communi fatorum lege exempta fuisse conditoria tabularum? subversis hierothecis ejusmodi mysteriorum, iisdemque incendiis vel alio quocunque modo sublatis aut expilatis, nonne illo modo perinde facilis, rerum asservatarum quoque jactura fuit?

(q) *Conf. §. 4. & s. buj. cap. (r) Ser. reg. Dan; lib. II. cap. IV. p. 124. (s) confr. Torfæi ser. reg. Dan. lib. II. Cap. II. p. 100. Edda myth. fab. XLIX. & alibi passim. (t) Hist. Svec. lib. I. p. m. 8.*

### §. VIII.

**C**irca initia Christianæ religionis, seculo IX. post  
N. C. colonia Scandianorum illa, quæ hinc in  
Islan-

*Islandiam* commigravit, multos veterum annales ab illo pristino lare ad sedes novellas secum deportavit, ut passim testantur scriptores. Ea vero monumenta, post seculi non unius, sed plurium decursum, situ & l'qualore prope confecta, non sine magnis sumptibus partim redimi revocariqve potuisse novimus: præcipuam autem partem eorum, quæ ultimæ stirpis Gothorum memoriam continerent, nunquam patriam revisere potuisse credibile est, sed vel naufragio periisse omnino, vel religione, quam par est majori coli detineriqve illis locis, quibus, perinde atqve genuinis sedibus suis, postmodum adhærescere cœperint. Hinc *seculo X.* alia iterum monumentorum *universalis desolatio* subsequuta est. Stragis autem excidiiqve late patentis illius auctor papa *Sylvester* ejus nominis secundus, erat: qui, ut omnia, quæ sub gentilismo runis exarata extarent scripta, una cum ipsis literarum characteribus, promiscue delerentur, sacri imperii an vero pietatis solertiâ majori præcepit. Causam a statore religionis gentilitiæ, puta Orhino, aliam & diversam ille neqve prætexuit, quam quod veteris provehendæ magiæ instrumenta omnia illa essent, nec quis Christianam doctrinam hinc oris propagare auspicato posset, quamdiu eorum aliquis usus valeret, aut superesset memoria. Qui tum imperio præfuit *OLA-VUS* Skautkonung, ignarus quorsum tenderet istud curiæ pontificiæ stratagemata, obsequium non diffi-

culter præstitit, & quæ à majorum seculis superes-  
sent præsci ævi chronica & acta tantum non omnia,  
vel ipse destrui permisit, vel in manus clericorum  
tradidit. Quibus imperantibus novis hospitibus de-  
mum illud quoque factum fuit, ut ipsam runogra-  
phiam, anno æræ Christianæ M. in publicis regni  
comitiis abrogaret. Et quod mirandum; tantam  
ubique invaluisse papæ superstitionis illius auctori-  
tatemprehendimus, ut in Hispania etiam, no-  
vis & exteris illis sedibus Gothorum nostrorum,  
anno MCXVI. runæ per concilium Toletanum ab-  
olitæ sint, & una cum illis, sine dubio, chronica  
quoque gentis vetera, quæ in scriniis illorum pu-  
blicis & privatis inveniri potuerint. \* Potuisset non  
difficiliter papa, pater ille bonus, si voluisset per-  
spicere, abusum non tollere usum, adeoque salvis  
auspiciis christianæ religionis jure abstineri posse ab  
excidio isto literarum. Fundos & agros & ceremo-  
nias, quæ sacerdotium ditarent, à gentilium sacris  
plu-

\* Notatu dignissimum videtur, quod neque seculis recen-  
tioribus præposterus hic zelus pontificiarum deserit. Memo-  
ria enim Morbosius loc. cit. prodit, Hispanos cum secul.  
XVI. Peruvianorum terras occuparent, vetustissima m. nu-  
menta literis hieroglyphicis scripta perdidisse, quoniam  
monachi imperiti pro characteribus magicis haberent. Quam  
jacturam deplorasse dicit proprium eorum scriptorem, In-  
cæ Garcillassum della Vega, qui asserere non dubitavit, ex  
his monumentis omnem hujus gentis originem peti potuisse.

plurimas recepisse quis nescit? Quo zelo vero ista consecrare, atque tabulas veteris ævi proscribere pium justumque putaverint, dignoscere non e longinquo quisque potest. Suberat odium & ignorantia veteris literaturæ, nec non dominationis hierarchicæ in novella ecclesiâ stabilicndæ mysterium, cui provehendo veteris ævi memoria omnis oppressa, & ex illa dissentienti loquendiq; libertas sublata opportunè profuit. Illam quam arcani disciplinam non illius ævi credula simplicitas perspexit, verum multis post seculis industria proavorum demum detexit. Quidquid sit, non satis deplorare possumus jacturam illam, quam hoc modo fecimus. Invaluit enim post hæc, per totum fere ævum pontificiam opinio perversa, Deo gratissimum præstari cultum ab uno quoque, qui in scriptorum runicorum destructionem & abolitionem omni nisu incumberet, eodem ni fallor, instituto, quo hodie papizantes temere nonnulli supersticiosi omnes sine discrimine gentilium libros moresque proscribunt, & pro suo velle exterminatos volunt. Hinc membranas etiamnum reperire licet, quibus vestigia nonnulla superiunt runicæ scripturæ: sed cujus veterem sensum, postquam novam speciem monachi superinduxerunt, runognostarum neque sagacissimus quisque expiscari poterit. Quid? quod memoriæ prodant historici nostri, illa, quæ rogo & violentis manib<sup>9</sup> hujus ævi *Cancellariorum* se subducere potuerint,



eorundem, aut saltem ordinis illorum opera provifusq;  
aliis atqve aliis temporibus, e regno omnia prope-  
modum exportata fuiffe. (u) Effecerunt, perhi-  
bente VERELIO (x) ut runographia perierit non tantum  
decor, fed & memoria, ut quid fibi vellent monumenta  
runica aqve ignoraretur, ac pyramidum egyptiacarum his-  
troglyphica.

(u) Hallm. vit. Nericiorr. Fratr. C. 16. p. m. 85. (x)  
Rungr. C. I.

§. IX.

**D**Ani præterea, quemadmodum nullo non tempore,  
quoties in Svecia pro libidine grassati funt, etiam ipfas  
chartas & præcipua antiquitatis monumēta surripuerunt, &  
in Danicam suam cancellariam absportarunt, (y) immo,  
scæpiffime destruxerunt; ita præcipue illo, de quo  
jam loquimur ævo, nihil intermiserunt, quo hoc  
ipsum propositum promoveri posse videbatur.  
Agmen ducit MAGNUS Nicolai filius Daniæ princeps,  
qui jam olim seculi XII<sup>mi</sup> anno Christi 1134, quæ-  
dam hujusmodi in patriam suam transportasse de-  
prehenditur, ut testatur proprius eorum scriptor  
SAXO Gram. (z) Seculo XIII. MEGTILDIS regina, u-  
xor regis Daniæ Abelis, magno numero diplomata  
ex archivo nostro ablata, flammis tradidit consu-  
menda (a). Eodem tempore STURLESONIUS, pro ut  
dicit nobil. PERINGSKIÖLD, (b) compluriam re-  
rum memorabilium factam collectionem, conquifi-  
taqve poetarum passim, per arctoum orbem, car-  
mina

mina ex *ultima Thule* Norvagicâ sua, in Islandiam  
 secum ipse quoque devexit. De diva *BRIGIT-  
 TA*, idem conjicere licebit: quod cum *seculo XIV*,  
 ex Svecia Romam migraret, pro eminentia au-  
 thoritatis nec non pietatis, qua sanctam sedem  
 prosequeretur, monumenta quæcunque rariora hinc  
 secum absportaverit. Certe de molesta sedulitate  
 matris & Antistitæ hujus nos dubitare non sinit  
*VOLFGANGUS PERISTERIUS* Borussus, qui refert (c) si-  
 bi in hospitio hujus Brigittæ, eo tempore quo *OLA-  
 VUS* Magnus Romæ versaretur, inspectionem bi-  
 bliothecæ satis pervetustæ & neglectæ, bonaque ex  
 parte manuscriptæ, commissam fuisse. Quæ, quum  
 judicante *SCHEFEERO* (d) per *OLAUM* aut *JOH. MAGNUM*  
 eo translata dici nequeat; utique, quo dictum est mo-  
 do, illuc devolutam esse, credibile videtur. Circa an-  
 num hujus seculi 60. *VALDEMARUS* Daniæ rex, pluri-  
 ma, quæ Scaniam concernebant acta, regi Sveciæ  
*MAGNO* eblanditus est: eademque ne suæ gentis de-  
 decori superessent aliquando, subditis flammis æ-  
 ternum absumsit. (e). Inde, quum hoc eodem in-  
 tervallo sacrum & infaustum foedus Calmariense  
 de unione regnorum septentrionalium initum  
 esset: eoque regibus Dania oriundis libido & au-  
 dacia crederet, consulendi & statuendi pro lubitu  
 de novi imperii alluvione, ejusque rebus atque opi-  
 bus: quis ignorat, uti alia multa avarè, certe cas-  
 ste & sancte minus gerendi: ita annales, acta &

literas momenti alicujus cumulatim auferendi, quo-  
 que potestatem sibi vindicasse? parum curantes,  
 quod ipsi foederi aulus ejusmodi temerarius directe  
 contrariaretur, ubi inter alia hæc habentur (f).  
 Til thet yttersta / skal icke konungen hafwa macht  
 bortföra af thet ena riket, til thet andra theß häfwoor/  
 skatter och documenter, vthan hwart rike behålle för  
 sig sielf sådana sin ägendomb. h, e. ultimo, in potesta-  
 te regis non erit, ex uno regno in aliud deportare opes,  
 pecuniam & acta ipsius; sed retineat unaquæque respubli-  
 ca sibi ipsi ejusmodi bona & propria sua clenodia. Elucet  
 in ceteris MARGARETÆ reginæ astutia. quam asse-  
 rit MESSENIUS (f) vetustissima diplomata regum  
 Sveciæ in Daniam perfide transmisisse, ut Sveones  
 priscis nudatos privilegiis, novis pro arbitrio sta-  
 tutis facilius premere posset. Scilicet, cum sin ma-  
 nus illius imperium pariterque arces ex foedere re-  
 signassent cives, pactorumque & veterum privile-  
 giorum nullâ ipsa religionem servaret, falsæ fidei di-  
 cam, non simplici vice, eidem impactam fuisse con-  
 stat. cui vero civium exprobrationi, ut debito mo-  
 do intercederet, bullas & diplomata, quotquot re-  
 periri potuere, in Daniam transportari curavit. Cir-  
 ca initium seculi XV, anno 1419, ipsa regni Can-  
 cellaria ferali conflagravit incendio; et eodem, si-  
 mul casu horribili, tabularum & monumentorum  
 publicorum eximiam vim periisse testatur vir de  
 historia patriæ præclare meritis, D. A. RHITZELIUS, A.

præp. Lincop. hodie dignissimus (b). Qvi *MARGARETAM* in imperio seqvebatur nepos ex sorore illius, *ERICUS Pomeranus* rex, exemplo prædecessoris promaterteræ suæ, quæcunqve superiorum temporum calamitas literaria reliqua fecerat, pleraqve ipse ævexit. de quo regis actu conqueruntur ipsi regni ordines ævi illius (i) his verbis: han hafwer alt rikes ingåld / privilegia och bref fõrt bort här utaf rikes / och hafwer engestådz waro rike wåndt thet til nytto / utan til fõrderwelikom stada. h. e. *omnem regni pecuniam, privilegia & acta ex regno deportavit, & nullibi in usum, sed presentissimum potius exitium regni nostri convertit.* Hac eadem tempestate iterum iterumqve laborare cœpit *pontifex Romanus*, quomodo & ipse particeps fieret prædæ hujus chartacæ; commotus, quod credibile videtur, præsertim oratione eruditissimi *Wexionensium* episcopi (Upsalien-sis postea Archiepiscopi) *NICOLAI* Ragvaldi, \* anno 1434 in concilio Basileensi nuperrime habita, quâ ille, ex fide & auctoritate variorum monumentorum, antiquitatem Sveciæ, & ipsorum, hinc quoque, præminentiam regum satis feliciter adstruxerat. Quæ monumenta, ne aqvilonaribus regnis usui esse possent amplius alicui, pro vindicando jure præ-

\* *Conscripsit hic ipse historiam Sveogothicam, cujus tamen copiam jam non habemus; sed si superesset, in multis nos fore instructiores, quibus nunc carendum, judicat cepb. Schefferus Ups. ant. p. 225.*

eminentiæ suorum *Christianissimorum*, præ diversi or-  
 bis *Christianissimis*, \* adeoque locus neque superesset  
 aliquis infringendi ceremoniale illud, quod in sua sedis  
 apostolicæ capella pater sanctissimus principibus Eu-  
 ropæ, iisdemque filiis obedientissimis, assignave-  
 rat, omnia auferre & expilare studuit. Hunc ita-  
 que in finem *PAULUS II.* anno 1463 (alii annum po-  
 nunt 1467.) misit huc legatum suum *Marinum a Fe-  
 greno*, quem, ex testimonio veteris chronici Lube-  
 tensis, asserit *MESSENIUS (k)* non paucos apud  
 Sveones nostros libros antiquissimos, Lubecam clan-  
 culum transmisisse. qui an Romam deinceps trans-  
 lati sint, vel etiam una cum thesauro, per indulgen-  
 tias in patria nostra collecto, a Megapolensibus & Lu-  
 neburgensibus ipsi adempti fuerint, me omnino fugit  
 (l) Vixit exterorum regum, & quidē ex serie Danica  
 eodem tempore is, qui *CHRISTIAN. I* dicitur, quem i-  
 psium suspicatur *SCHEFFERUS (m)* inter alias opes et-  
 jam annales regni corrasisse & in suum usum perin-  
 de abscondisse. quod idem de *JOHANNE*, qui ver-  
 gente hoc seculo imperium per tria septentrionis re-  
 gna tenuit, affirmare non dubitamus. Promiserat  
 quidem hic ipse in recessu, ut dicitur, *Calmariensi*  
 (n) se non deportaturum secum peregrè regni clen-  
 dia,

\* *Conferſis Adami Bremensis hiſtor. Eccleſ. & videbis  
 O' aum Skottkonungium ejusque ſucceſſores proximos reges  
 Chriſtianiſſimos, perinde atque hodie Gallia reges, appel-  
 lari.*

dia, acta & pecuniam. Sed qua fide & religione servaverit jusjurandum suum, patet ex literis Senatus regni ad Holmenf. (o) ubi conqveruntur illi, aurum, argentum, pecuniam, æs aliaqve omnia, etiam eundem abstulisse. In quorum censu acta quoque publica numerari debere perquam credibile est. quippe quibus non ille magis, quam sui prædecessores pepercerint. Anno decimo septimo *Seculi XVI.* *Johannem Heytmers de Zonvelben* ablegavit papa *Leo X.* (a) apud *MESSENIUM* (p) *Gregorius X.* audit, diciturque jam anno 1515, hunc ipsum *Johannem Hyemersium* prout ibi nominatur, emisisse) ad libros antiquos, qui in patria nostra reperirentur, conquirendos & peregre avehendos. (q) Qui cum literis commendaticis ad episcopos & clerum regni, in quorum scriniis, qui supererant maximi momenti annales inde a temporibus *OLAVI Skautkonung* (conf. præc. §. VIII. pag. 31.) reconditi erant, instructus esset; facile est dijudicatu, quantam copiam absportarit claudis & nuntius & minister hiecc, Exceptit continenti serie patrem suum *CHRISTIANUS II.* qui non contentus adversus homines & cives innocentissimos tyrannidem exercuisse suam, vitæque eorum netario ausu insidiatum fuisse: in literas quoque, & sacra earundem penetralia omni furore exlæviit, Destruxit ille & abstulit omnia, quæ sui reliquerant antecessores, & a sagacissimis ipsius furoris atque sævitæ ministris pervestigari poterant. Adeo ut teste-

tur rex ERICUS XIV. (r) nullum angulum in cœnobiis, templis & arcibus vacuum fuisse relictum, quin omnia de publicis regnorum negociis acta, satellites isti partim comburerent, partim si quorum usus esse posset, sibi servarent, quo soli haberent historias; ab illis contractus peterentur: penes ipsos denique decora majorum totiusque antiquitatis nostræ fides resideret, conq̄iescetet. Cum illo vero gurgite omnis patrimonii civilis, itemq̄ ecclesiastici alta voragine finitur in patria nostra ævum pontificium. De quo ævo in genere adhuc observamus, quod quemadmodum episcopi, imprimis Strengnesienses (s) per totum hoc tempus Cancellarii fuerunt regni, & præcipua proinde ac maximi momenti acta apud ipsos delituerunt: (t) ita neq̄ve absonum aut incredibile cuiquam videri posse, quod eorum modo invidia, modo præpostero zelo atq̄ve dolo, interdum etiam oscitantia, quæ ad rempublicam pertinerent, scripta multa perierint, prout tempore potissimum Matthie Gregorii (Gregerson) episc. Streng. factum esse refert rever. episc. D. E. BENZELIUS (u) \* Quam alias ad typographiam usque in-

\* *Quæ per hoc temporis intervallum in cœnobiis & templis inveniebantur manuscripta, eodices & diplomata, eadem, quæ multa alia, Monachi superstitione absconderunt, & tanquam thesauros ita sibi servarunt, ut non nisi variis adhibitis artibus e claustris & captivitate hæc sua extrahi potuerint. præsertim quum ex eorum descriptione non parum lucri separarent; seu ut loquitur D.*

inventam, facilis destructio existere potuerit rariorum manuserr., ceu rem notioerem, & jam ante tactam sciens prætereo. Facile enim quisque videt, quomodo cum non nisi unum vel alterum forte exemplum descriptum inveniretur, illud facillime distrahi & ne quæ ejus copia amplius haberetur, casu quocunqve consumi perireqve potuerit,

## § X.

*BENZELIUS*, \*immunitates ac proventus suos auctura subinde finxerunt, ruditati suæ ætatis imponentes. *Qua quidem custodia superstitiosa, multos auctores, literas & acta, præcipue ecclesiastica, conservata fuisse lubens agnosco. Verum an non multa simul, imprimis antiqua illa, quæ gentilismum saperent & proinde invisâ fuerunt, saltem neglectim habita, tineis blattisque consumta fuerint, dilacerata & penitus tandem destructa, aliis judicandum relinquo. confr. Morbof. Polyb. lib. I. cap. VII. p. m. 58.*

\* in proleg. ad mon eccl., pag. XIII.

(y) vid. diff. belli Svæco. Dan. ap. Scheff., de ant. Svæc. insign. p. m. 271. (z) hist. Dan. lib. XIII. p. 213. (a) vid. *BENZ.* Coll. mss. (I. p. 39. (b) præf. ad hist. reg. sept. (c) in præf. præmiss. Jac. Angelo, cit. Scheffero Ups. antiq. c. 12. (d) loc. cit. (e) vid. Messen, Scand. ill. tom. XII. p. 196. (f) vid. art. X. huj. un. apud Messeni. in rectoris. Rosfont. p. 101. (g) Scand. ill. tom. XII. p. 219. (h) Brentol. pag. 63. (i) lit. ad Norv. dat. Holm. Dom. prox. post fest. nat. Mar. virg. an. 1434. art. 3. ap. Hadorph. Ch. rhyt. pt. 2. p. 79. confr. Messen, sc. ill. tom. XV. p. 69. (k) chron.



episc. C. XIII. p. m. 166. (l) conf. Messen. Scen. ill. tom. XV. p. 82. (m) Ups. ant. c. 12. p. 190. (n) dat. die prox. ant. fest. ann. Mar. an. 1483. art. 25. ap. Hador. lib. cit. p. 327. (o) dat. Fast. d. Cosm. & Dam. an. 1501. ap. Had. lib. cit. p. 380. (p) Scenod. ill. tom. XV. p. 95. (q) vid. epist. Leo. X. ad Alb. Archiep. & Elect. Mogunt. dat. die 26. Nov. 1517. in Dict. Hist. Crit. Bailii tom. 3. pag. 86. (r) diss. sup. cit. p. 271. (s) Conf. hist. eccl. b. m. Spegel. pt. 2. lib. IV. pref. (t) conf. lit. gl. m. Gustav. I. ad Archiep. L. Petri dat. 1554. ap. Hallman; vit. Neric. p. 76. (u) Coll. manuscr; de antiq. Sueog. C. I. §. 15.

## §. X.

Ipsa reformationis seculo, circa initium, anno  
 Iputa MDCCCXXV. die 15. Febr. *arx Holmensis* partim,  
 una cum *archivo* regni, nocturno incendio deflagra-  
 vit; factumque tristi momento illo, ut plurima &  
 quidem vetustissima regni diplomata, literæ & si-  
 gilla iterum consumerentur. (x). JOHANNEM MA-  
 GNUM Archiepiscopum Upsal., studio perverso re-  
 ligionis pontificiæ abreptum, hinc Romam secessis-  
 se, eundemque acta regni, quæ superessent, & in  
 monasteriis, aliisque religiosis locis asservarentur,  
 præcipue vero bullas pontificum, annales, genealo-  
 gias & codices quos libet vetustos secum abduxisse,  
 commemorat totidem fere verbis TEGEL (y) cum quo  
 paria facit, BAZIUS (z) aliique: quod ipse neque JO-  
 HANNES per omnia negat, (a) contradicentibus  
 licet BENZELIO (b), WILDIO (c) atque SCHEFFERO

(d). Consentiant non pauci etiam, fratrem *OLAVUM Magnum*, qui ex pontificis constitutione in munere seqvebatur, non nulla antiquitatis monumenta clam secum Romam transtulisse. Inter alios Vir illustris de *LUDEWIG* consiliarius aulicus regis Borussiae, in egregio de *jure clientelari* opere suo (e) non dubitat asserere *Romam esse custodem antiquitatum Sveogothicarum, quas ex regno deportaverit hic OLAVUS, & post centum annos ipsa regina, intellige CHRISTINAM.* Eodem tempore *JOHANNES BRASCH* Lincopensis episcopus, forte ex pacto & consilio communicato cum *JOHANNE & OLAVO Magnis*; certe praepostero & ille commotus religionis zelo, patriam reliquit, interque alia, quae conquirere potuit vetusta documenta & acta historica, Gedanum avexit (f) ea quoque, quae deinceps ad coenobium vicinum Olivense (g) translata reperiuntur & partim societatis monasticae illius chronicis inserta perhibentur, accurante scilicet episcopo, qui post multas domotomas exantlatasque procellas, in illo sinu demum vitae & ærumnarum portum, quamdiu viveret auspicato invenit. Praesulum suorum vestigiis abituriens hinc inde *turba monachorum* non sequiter insistebat. Vix enim dici potest, quanta vis veterum monumentorum, circa hæc eadem reformationis initia, eorum zelotypiâ malignâ perierit (b). Est illud notissimo notius, quod, cum desertis coenobiis ad externos diverterent, ( multos illud, quid

quid erat consilii, arripuisse, historia ejus temporis non uno in loco testatur) Ignaviæ latibula vetera sua, vel flammis subjecerint, vel res pretiosissimas auferentes, vacua reliquerint. Singula interim singulas possedisse bibliothecas & actorum tabulas, auctor est *MESSENIUS* (i). Ut nihil dicam de templis, horum expilationi æque obviis: quorum plurima, præcipue vero cathedralia, suis jam olim instructa fuisse codicum & manuscriptorum collectionibus, qui in sacris locis passim hodie conduntur, veterum librorum putrilago etiamnum loquitur, & ex *SCHEFFERO* (k) insuper colligi potest, qui veterem fuisse omnium per Europam Christianorū consuetudinē custodiendi libros utiles in templis, perinde testatur (l). Regnante *SIGISMUNDO*, non solum acta publica in arce Holmensi, teste *THUNIO* (m) jacuerunt neglecta, exceptis quæ dux Suedermanniæ, postea gl. m. rex *CAROLUS IX.* servabat Gripsholmiæ; sed creditur etiam caterva monachorum e Polonia, quæ tum inundavit patriam, in reditu non contemnenda quædam abstulisse, maxime quæ causæ eorum religionique servirent. (n) Paulo post *ABRAH. ANGERMANNUS*, quis crederet? cum is provincias regni præcipuas, reformatæ disciplinæ ecclesiasticæ sine peragraret, nescio qua pietate accensus, monumentorum ex palatio, quotquot reperire potuit, non exiguum numerum cum pulvisculo excussit. Utpote Wadsteni.

*S. Brigitta, Catharine & Ingridis*: Lincopiæ *S. Nicolai*: Wexoniæ *b. Sigfridi*; Scaræ *S. Brynolphi*: Schedviæ *S. Helene*: Munkatorpii *S. Davidis*: Strengnesiæ *S. Eschilli*: in Scogenfi ecclesia *b. Hollingeri*: in Teltana *S. Ragnildis*, & Bothvidiana *S. Bothvi* imagines & tumbas confregit, delevit. Cetera cujuscunque nominis essent, scrinia custodibus suis extorsit & imis ceris quæque erasit (o). \* Notatur apud MESSENIUM, (p) quo Abrahamus, carbone eodem M. ERIC. SCHEPPERUS etiam, quasi non acer ille minus & sine compare cum umbris & imaginibus bellator. Simulacra enim divorum divarumque, epitaphia & alia ejusmodi templorum anathemata, memoriæ & æmulationi a majoribus pie consecrata, hic iconoclasta idem, pristinae gentilitatis nec non Christianitatis apud nos primævæ exemplo, destrui fecit plurima abolerique. Satis illud quidem prudenter, an vero secus, meum non est dicere. Illud interim neminem inficias iturum spero, per indiscretum non paucorum zelum (q) historiam (sapientiæ oculum alterum ex mente veterum) multarum memorabilium rerum suarum deliquium crebro passam fuisse, & quidquid parum sincera veritate in illa consignatum inveniatur, ad illam causam fontemque partim referendum esse. Dolet sortem animalium

\* Hoc semel & conjunctim observasse sufficiat, ne, cum ad provincias speciatim considerandas accedimus, singula sigillatim enumerare opus habeamus.

nalium nostrorum *LOCCENIUS* (r) quod miscente  
 rempul. discordia, extranei regno admoti, chroni-  
 ca antiqva vel suppresserint, vel extra regnum de-  
 portata situ & tenebris damnaverint. Censura,  
 quam mox subjicit, directa est in somnolentiam &  
 superstitionem proximorum temporum, qua monu-  
 menta, quæ ad posterorum manus transmissa essent,  
 pari, qua literis mandata, fide atq; religione, in illis  
 neque servata fuissent. Aëreum fucum non habe-  
 bit virgulam istam, quicumque veterum sortem a-  
 nimo non inicyo putaverit. Verum levi e diverti-  
 culo in viam. Pervulgata quoq; diu apud nos fama  
 fuit ipsam *CHRISTINAM* reginam, quandocumque avi-  
 tas sedes, eademque parente viçore dignas, cum  
 triumphatis Romæ mœnibus permutaret, nonnulla  
 ad historiam & rem literariam veterum pertinen-  
 tia, secum transtulisse, prout illustrem de *LUDEVIG*  
*J. CUM* antea audivimus memoriæ de eadem prodi-  
 disse; sed ea tanti non fuisse momenti asserit rev.  
 episc. D. *BENZLIUS* (s). Quæ *Isaacus VOSSIUS*, re-  
 ginæ huic a sanctioribus bibliothecæ curis existens  
 avexit, majoris momenti & inæstimabilis fere pre-  
 tii fuere. illa quæ neglectim asservata sibi vindicare  
 & sui peculii facere, ipsa jam ante Augusta eidem  
 permisisse creditur. *ULPHILÆ* codicem evangelio-  
 rum manuscriptorum, deauratis literis gothicis exa-  
 ratum, eundemque armata Gothorum manu scriptum  
 non justis exterorum paulo ante extractum repeti-  
 tum.

tumque, quis nescit, in Hollandiam secum absporr-  
 tasse hominem peregrinum, & deinceps non nisi  
 ingenti numerato ære ab illo redemptum fuisse? Id  
 quod in parte poster: fusius a nobis commemoran-  
 dum venit. Verum istius cimelii literarii damnum  
 patriæ attulisse, non satis erat VOSSIO. Ipsam insu-  
 per aggressus est bibliothecam regiam, quam mi-  
 sere spoliavit & rarioribus quibusque impressis li-  
 bris privavit (1). Anno nonagesimo septimo pro-  
 xime evoluti seculi arcem *Holmensem* penitus deletam  
 fuisse fortuito diroq; incendio, oculati testes sunt, qui  
 etiamnum perhibeant multi. In illa vero cum lo-  
 cum habuerit & antiquitatis & ipsum regni ar *hivum*,  
 non difficile est intellectu, quantam fecerimus ja-  
 cturam monumentorum, quum inde a tempore re-  
 formationis omnes veterum annales, acta & literæ,  
 quotquot vel per totum regnum conquiri potuere,  
 vel ab exteris, magna sæpe pecunia patriæ vindi-  
 cari, illuc comportata & reposita fuisse noverimus.

(x) Vid. Thun. in vit. *Palmköld*. p. 38. (y) *hist.*  
*Gust.* I. pt. 1. fol. 120. (z) *hist. eccl. inv.* p. 206. (a) *vid.*  
*pref. ad hist. Sveog.* (b) *loc. cit. Coll. manuscr.* (c) *hist.*  
*pragm. pt. gen. Cap. II. §. 35. mom. 3. seq.* (d) *Upsal. ant.*  
*C. 12. p. 190. seq.* (e) *not. 1. p. 7.* (f) *vid. Thun. in vit.*  
*Palmköld*. p. 55. (g) *mom. Palmköld*. p. 112. (h) *conf. Spe-*  
*gel. hist. eccl. pt. 2 lib. 2. C. 2. p. 189.* (i) *pref. ad tom.*  
*XV. sccond. ill.* (k) *Upsal. ant. c. 12. p. 190.* (l) *conf. loc. cit.*  
*Messenii* (m) *mom. Palmköld*. p. 46. (n) *vid. Wallin in vit.*

*Sparvenf.* (o) *vid. Mess. sccond. ill. tom, VIII. p. 33.* (p) *loc. cit.* (q) *conf. Messen. sccond. ill. tom. XIII. p. 5. Job. Magn. bist. Sveog. lib. XX. cap. VII. Morhof. Polybist. lib. 1. Cap. V. p. 40.* (r) *pref. ad bist. Sveogotb.* (s) *Coll. manus. loc. cit.* (t) *vid. Enberg. Upsal. bestrif. p. 63.*

### §. XI.

**S**criptis annumerari possunt lapides, quos majores nostri, nulli parcentes operæ aut labori, quo memoriam sui ad nos pie transmitterent, hinc illic quondam erexerunt runisq; exararunt (u) Verū experta sunt adamantina illa quoq; virtutis judicia, cum ceteris monumentis idem prorsus fatum, eandem ævi injuriam. Tempore etenim supra memorati *OLAVI Skautkonung*, omni allaboratum est studio nisq; ut illi non operose minus destruerentur. Hinc videmus alios contractos, alios terra defossos & absconditos, plurimos fundo excussos substructioni ædium, præcipue sacrarum, in vicem fundamenti fuisse adhibitos, in quibusdam runicam scripturam expunctam & plano lapidis aliam superinductam. Quid? quod per univertum ævum papale, immo deinceps multo quoque tempore, in eorum ruinam plurimi consentiunt inconsiderati homines, qui vel ipsi temeritate inconsulta illis vim inferre, & publica gentis monumenta in domesticos usus convertere non dubitant, vel saltem incuria veterum memorabilium, scripturam ipsam obliterari, multo petrificante obduci & magis magisque exole-  
scere

scere patiuntur. Ut de pluvia, aëris & pulveris injuria nihil dicam, quæ obeliscos loquaces olim multos oblimavit, mutos & ænigmatum scrupis magis impervios & inexplicabiles reddidit. Egregiam fateor adhibuere ævi recentioris eruditi diligentiam in titulis horum explicandis & interpretandis; sed multorum tamen adhuc in abdito latere sensus utiqueprehendimus; qui partim nunquam observati sunt, saltem non delineati; partim propter characteres suos insolitos & literaturam a reliquis diversam, diligentiam adhuc fugiunt eruditorum. Ut taceam litigia runognostarum, & diversissima de lectione eorum judicia: quibus vetustatis auctoritatē & fidem, quæ hactenus inclaruere, omnem prope amiserunt. \* Non negamus fuisse inscriptiones plurimas descriptas atq; delineatas ab illustri & diligentissimo Viro PERINGKISLDIO, itemq; HADORPHIO, CHRISTOPHERSONIO aliisque; sed quarū non exigua vis, si non in cineres redacta pridem, publicæ luci subtracta saltem, ceu Sibyllina folia carceris secreto suo situq; indies deficit, & interit; idque in rei literariæ veteris, præcipue vero historiæ nostræ, non leve, quod conijcere licebit, detrimentum.

(u) *confr.* §. 1. hujus cap. pag. 10. & §. 2. p. 13.

\* *Confr.* Leibnitii epistolas nuper editas, imprimis vero illam, quam ad Otton. Sperlingium de Runographemate non ullius ultra Carolinum abum comperta antiquitatis, scripsit.



## §. XII.

**L**apidibus addimus *colles sepulcrales*, aliasque veteres pariter ac recentiores regum, magnatum, heroum, divorum divarumque *tumbas*, cum suis inscriptionib<sup>9</sup>, (de quibus paulo ante etiam), magna quondam pietatis æmulatione, magnificentia & exterorum non minori admiratione erectas. Atque ut de collibus primum loquamur, certum est non *ipso* excellæ molis ambitu suo solum, præcipue si peculiari eodemque incluto nomine aliquo de eponymis suis testentur, historiæ nostræ fundamentum præbere haut infirmum; (x) sed imprimis idem de variis, quæ cum mortuis magnatibus contumulatæ fuerunt, *rebus* dicendum venit, puta gladiis, nummis, præcipue vero clypeis, quorum plano convexo veterum heroum res gestas olim insculptas & in ænigmate quasi expositas fuisse ex auctoritate Eddæ probat TORFÆUS. (y) Illa veterum dormitoria, ut nihil relinqueretur in expertū, quo fides historica nostra infringi & defectus augeri posset, itidem a bustuariis & *ἰσχυροῦς* suffossa & expilata, sæpe etiam solo æqvata fuisseprehenduntur, quemadmodū ex

G

AM-

\* Commemorat hic idem, ut & Vormius aliique, ad conservandam veterum memoriam, inter alia, hyperboreis nostris perinde ac aliis gentibus usitatum fuisse, parietibus ædium aulaisque majorum historias inscribere atque intaxere. Sed evanuisse cum ipsis tectis & ornamentis hisce omnem quoque, quam complectebantur de heroicis factis veterum notitiam, merito dolemus.

AMMIANO MARCELLINO commemorat OTTO SPERLINGIUS (z). Qui refert eos ipsos etiam thesauros & arma defunctorum abstulisse, nudis relictis corporibus urnisque. Et paucis interjectis addit: quamvis huic crimini severas positas haberent leges, haud tamen unquam observabantur; sed apud septentrionales in his intra peccabatur & extra. Ast quid gentilitatem memoro, cum neque alterius generis sepulcra, quæ sub papatu magnifice quondam exstructa fuere, meliora experta fuerint fata? Conquestus est de eorum ruina jam suo tempore MESSENIUS (a) quasi disjecta essent, temerata & dissipata. Et quin illa, qua nunc vivitur ætate, eadem hæc querela jure meritoque locum obtineat, nullum est dubium. Non miramur ignorantiam recti invidiamque multum ad id fastidii pridem contulisse; sed ad nostrum seculum durare pristinum morem, & ad obruendum memoriam veterum, homines cum edacitate temporum pari passu ambulare, æquo animo neutiquam ferendum videtur. Verum de illo manium jure dabitur deinceps dicendi locus.

(x) *conf. Torfaus ser. reg. Dan. lib. I. cap. VI. p. 50.* (y) *loc. cit.* (z) *vid. lit. ipsius ad Christ. Rhodum dat. d. 9. Sept. 1699, in nov. lit. mar. balth. anni 1700, mens. Jan. (a) 1r. de tumulis veterum passim. conf. præc. §. 10. pag. 43. & 44.*

### §. XIII.

**N**ON est prætereunda, cum de causis defectus  
in

in historia nostra agimus, *privatorum nonnullorum invidia*, qui quemadmodum Veneti *BEZARIONIS* bibliothecam Græcorum manuscriptorum; ita hi bullas & diplomata majorum, quæ vei casus vel jus hæreditarium in ipsos transmisit, penes se abscondunt, & ne usui cedant publico, historiæque serviant illustrandæ, canis instar plauastro scæni incumbunt. quin neque eorum, qui *despiciendo* ea, quæ non viderunt, conatibus bene merendi aliorum sufflamen injiciunt. Addi potest *supina* aliorum *vacordia*, qui nimis remissi & de publica parum solliciti salute, an talia possideant acta nec ne, quæ reipublicæ servire possint, perscrutari prorsus omittunt. Unde sæpenumero fieri videmus, ut merces & munera ista prodigæ fortunæ suæ æstimare nescientes, *illi* focariis servis, aromatum institoribus aliisque tradant dilaceranda. *hi* vero non dissimili alio, certe indigno fato interverti scientes. videntesque permittant.

#### §. XIV.

**H**is tandem ultimo accedit *typographia caritas* hisce remotioribus terræ partibus, nec non defectus eorum, qui in editiones librorum manuscriptorum sumtus facere velint. Raro etenim heic loci typographus ipse suo ære aliquid imprimi curat. Auctor quisque tuos ipse fœtus, aut veterum monumenta historica edere cupit, de penatibus pecunia jejunis, magisque quam pro periculo

lo tantorum sumtuum faciendis accisis, ubique con-  
 queritur. Hinc est, quod cum in archivis pluribus,  
 tum alibi, plurima lateant manuscriptorum volu-  
 mina, ingens numerus diplomatum, edictorum,  
 fœderum & epistolarum, operum & pandectarum  
 denique vasti tœmi, quibus colligendis & digerendis  
 multum temporis tribuerunt viri per totum or-  
 bem celeberrimi. Quæ vero fati sinisteritate, quan-  
 tum loci detur exteris cavillandi & historiæ nostræ  
 certitudini detrahendi; quantum perfectioni illius  
 decedat, auctoritas ejusq; debilitetur, quivis videt. Pro-  
 fecto iis, qui ad abstergendam *divisprociis* calumniam a-  
 lacres accedere vellent civibus, spongiam & nervum  
 & cetera instrumenta rei bene gerendæ præripi,  
 etiam qui fastidiunt vetera, facile consentiunt.

## SECTIO II.

### Particularis.

*οὐσοψις*

- §. I. *Fata monumentorum per regnum Suecicæ adumbrat.*  
 §. II. *Eodem instituto regnum Gothicæ percurrit.*  
 §. III. *Magnum Ducatum Finlandiæ attingit.*

### §. I.

**H**Æc in genere dicta sunt. Jam tamquam ap-  
 pendicis loco addam, quæ de fati rei literariæ  
 antiqæ per præcipuas patriæ regiones observare  
 potui. ea quæ in defectum historiæ in genere, præ-  
 cipue vero & in specie hujus vel illius loci regionisq;  
 influere videtur; eundemq; puta defectû, suis quasi au-  
 ctibus

ctibus amplificare. Quod *Uplandiam* attinet, ipsam regni *metropolin*, fortuito incendio non simplici vice, cum literarum gazis tantum non omnibus haustam fuisse, hospes & peregrinus ipse domi suæ nemo ignoraverit. Nominatim an. 1407. & 1419. præter publica, de quibus antea; etiam privata urbis documenta periisse testatur D. *RHYZILIUS* (a) & quidē tanto numero, ut, dicente *MESSENIO* (b) nulla profus superiorum monumenta temporum in tabulario ejus superfuerint, quæ ipsi usui esse possent in contexenda historia hujus civitatis. *Upsaliam*, sedem antiquam regum, nec non monumentorum inde ab ævo remotissimo hierothecam, in cineres etiam sæpissime fuisse redactam, præterquam aliorum multorum indicio, *SCHEFFERI* (c) quoque testimonio constat, qui urbem plerorumq; actorum & tabularū veterum suarum, per illam Vulcani rabiem jacturam fecisse lugeat. Quantam literis & literatis attulerit cladem, quod proxime accidit, incendium urbis a 1702. notissimo notius est. Ipsa vero basilica, præter ignes, quibus non semel fuit subjecta, a *CHRISTIERNO* II. (utinam non manus facesq; porrigente ipso tum temporis archiepiscopo) spoliata legitur (d). Illum regem, cum sanguinis humani nullam haberet rationem, vel auro, vel argento sacro, vel etiam scriptis alicujus ponderis pepèrcisse, non est ut persuaderi sibi facile patiaturs quisquam. Quæ hinc abstulisse dicitur documenta supra nomi-

natus

natus *JOH. MAGNUS* prætereo, & b. L. ad cel. *SCHEFFERUM* remitto, qui ipsius hac præcipue in re agit patrociniū. (e) *Sigtoniam* alteram olim regni metropolin a. Ch. 1187. incendio a Russis & Esthoni-  
 bus deletam constat, cum ceteris vero operibus ex ære aut marmore affabre factis, omnia quoq; monu-  
 mēta literaria illius peregre transportata fuisse, nemo dubitat. (f) Quod idem de *Birca*, præcipuo, ævi veteris in Sveciæ regno emporio & regia quondam sede, affirmari posse videtur, quæ anno circiter 1008. ab *OLAVO N. R.* incensa est, & quo interveniente fato, multa notitiæ historiciæ velificantiæ veterum carmina & chronica in Norvegiam transiisse, non possumus non suspicari. Nil dicam de *JOH. MAGNO* sæpius commemorato, qui eorum, quos abstulisse perhibetur codicum antiquorum non exiguam vim e *Roslagia* conquisivisse dicitur. (g) Incendium templi *Sweg*, in *Herjedalia* Norlandorum, libros non nullos consumsisse testatur D. *RHYZELIUS*. (h) Sed recipio me in *Wesmanniam*, ubi testatur iterum D. *RHYZELIUS* (i) *Arosiense* templum cathedrale 1691 d. 9. Maji conflagrasse, pariterqve vi ignis, antiqua non nulla, eademqve maximi momenti acta esse absorpta. Item conqueritur auctor. diss. de S.  *Davide* (k) abstulisse sacrilegum quendam hominem omnia de sancto viro illo relicta acta & documenta antiqua: causâq; furto illo suo dedisse ait, ut Apostoli illius & primitivæ *Vesmannorum* ecclesiæ memori-

am, non nisi exiguam & confusam habeamus superstitera.

(a) *brontol.* p. 62. (b) *Scand. ill. tom. XII.* p. 221. *conf. tom. III.* p. 47. (c) *Ups. ant. e.* 13. p. 241. (d) *vid. lit. ord. & senat. Svec. ad Norv. ap. Hadorph. Ch. rhyt. pt.* 2. p. 456. (e) *Ups. ant. C.* 12. p. 190. (f) *conf. D. Wallin. Sig. Stans. & cadens.* (g) *vid. Hallm. vit. Nericc.* p. 47. (h) *brontol.* p. 67. (i) *lib. cit.* p. 83. (k) *in pref.*

§. II.

**I**N Gothiam pergo, & quidem primo *Vestrogthiam*, ubi ex brontologia rev. D. RHIZELII (l) itemque itinerario Svethiæ PALMSKJÖLDIANO, edoceor curiam *Scarensem* a 1678. flammis esse absorptam, & simul urbis privilegia & statuta a gl. m. regibus GUSTAVO utroque, ERICO & JOHANNE concessa, non exiguo numero periisse. Fatis iisdem cum urbem implicarent Dani, seculi decimi sexti sexagesimo sexto anno: itemque sequentis seculi anno undecimo, quis dubitat sicut ceterarum rerum; ita quoque monumentorum publice profuturorum spolia diripuisse multa, iisdemque tradito a majoribus more, inæ rei literariæ gazophylacia plurima locupletasse? *Wisbya* urbs est *Gorblandia* præcipua & unica, quam meminit VASTOVILIUS (m) *bibliothecam* possedisse duobus millibus codicum vetustissimorum & recentium ingenti numero referram; sed quam, multo ante tempore, evanuisse, ut vix quædam illius aliqua memoria superfit, qui in illis locis morantur hospites

& indigenæ omnes fatentur. neque dubitabit alius quisquam, qui fata, quæ non simplici vice subiit hæc insula, expugnationes puta hostium continuas, cogitaverit. Largietur credo non invitus, quæ ibi fuere monumenta, non potuisse non vel destrui penitus, vel etiam auferri. Quid? quod ipsi etiam nuntii pontificiorum hanc ipsam scèpissime visitarunt insulam, sine dubio, quod inter alia, etiam hic uberrimus esset manuscriptorum proventus. (n) Ut taceam JOH. BRASCH. episcop. non tantum per totam *Ostrogothiam* codices vetustos conquisivisse; (o) sed & præcipue diplomatum inquirendorum gratia huc accessisse, & Dantiscum illico perrexisse. (p) Quo pacto perierint *Calmaria* in *Smolandia* monumenta, videri potest ex diff. AND. SVEBILII de hac ipsa urbe, (q) qui jacturam tantam fuisse meminit, ut incolæ nova privilegia à rege gl. mem. GUSTAVO ADOLPHO petere coacti sint. quoniam præter alias literas omnes, etiam ipsa, quæ de immunitatibus & jure domestico eorum ipsis concessa antea fuissent statuta, frustra quærerentur. Templum cathedrale *Wexioniense* a. 1570. d. 7. martii a Danis deletumprehenditur & incensum. simul vero pretiosissima & maxime memorabilia amisisse antiquitatis monumenta, totidem verbis commemorat vir cum honore mihi iterum iterumque nominandus D. RHIZELIUS. (r) \* Faciem perveritati isti posteritatis suæ

præ-

\* Inter hæc fuit inestimabile antiquitatis Cimelium,



prætulit *CHRISTIERNUS tyrannus*, cum cœnobium *Ny-dalense*, magnifice olim exstructum ipse quoque expilaret, & omnia quæ invenire potuit clendia, acta & literarum testimonia, inter alia, quoque diriperet (s). Ut, quod *A. Ep. b. m. SPEGEL* (t) perhibet, præteream: peragrasse nimirum *JOHAN. BRASCHIM* supra nominatum, totam hanc provinciam, atque ex opulentissimis illius cœnobiis templisque, præter pecuniam, omnis generis vetusta monumenta & codices rariores conquisivisse & exportasse: Illud neque in transcurso de *Smolandia* prætermittendum: esse in hac provincia magnum numerum lapidum runicorum, quos nunquam adhuc delineatos quisquam vidit. Et cum in ipso archivo ulla eorum neque reperiantur vestigia, neque tabulæ pictæ, prout a fide dignissimis viris accepimus; non possumus non non

H

suspi-

cornu trecentis & ultra diversis distinctum coloribus, quod traditio apud nos vulgaris & scriptores quoque passim, conditorem familie *Trollorum* spectro (*Svevis Troll*) eripuisse perhibent. Incertum interim illud est, furentis flame vi consumptum fuerit, an vero, quod perpetua fere apud nos fama fert, *Hafniam* translatum Danorum direptione. Verum incendio periisse credibile magis videtur. Si enim superesset, vel investigari alicubi posset, non dubitandum quin informari etiam quacunque ratione possemus, quid de casu hoc oppido raro esset habendum, & quonam in illa varietate multa traditionum, vera sit inclita familie illius origo.

susplicari, eosdem ab antiqvariis nostris, neque fuisse animadversos, certe non lustratos; præsertim cum hi ipsi celeberrimi viri, nostram rarissime regionem adiisse deprehendantur, ejusmodi descripturi monumenta. Quæ *Scaniam* & finitima concernebant, literas & acta, a *VALDEMARO* rege Danicæ partim concremata esse, antea observavimus.

(l) pag. 80. (m) *dedic. ad Sigism. r. præmiss. vit. aquis.* (n) *vid. diff. de Gotbl. pt. 1. p. 24.* (o) *vid. Spiegel. hist. eccl. pt. 2. lib. 2. c. 2. p. 218.* (p) *vid. Messen. chron. episc. p. m. 93.* (q) *in præf.* (r) *brøstol. p. 68.* (s) *vid. lit. ord. & Jenat. ad Norveg. apud Hadorpb. eb. rhyt. pt. 2. p. 457.* (t) *hist. eccl. pt. 2. lib. 2. c. 2. p. 218. conf. Tegel. hist. Guss. 1. p. 1. fol. 178.*

### § III.

**P**erlustratis sigillatim, festinatione, quod vereor, præcipiti nimis, transmarinis, puta Svethiæ & Gothiæ regionibus, quarum veteris & recentioris ævi memoriam, injuria temporum expunxit: postliminio in *Finlandiam* reverti animus est. Urbs magni ducatus hujus primaria *Aboa*, si quæ urbium Sveogothicarum ignibus plus sæpe consumpta est. Inprimis vero cum sedente *CONRADO BITZ* episcopo, castrum *Kustöense* casuali incendio conflagraret, omnia ecclesiæ *Aboënsis* documenta iniquissimo facto isto periisse commemorat b. *IUSTENUS* in episcopp. *Finlandiæ* Chronico suo. Arcem restaurasse *Conradum*, sed monumentorum damna, neutiquam potuisse, *MESSENIUS* agnoscit (u). Quin per vim & irru-

irruptiones *hostium* continuas, multa amiserit anti-  
 qui orbis egregia testimonia & monumenta, nos-  
 met dubitare non sinit irruptio in provincia illa, quæ  
 JOHANNÈ Pargensi episcopo, HANSI regis auspicio,  
 in urbem facta fuit: quæ, præter omnem civitatis  
 structuram, ceteraque ecclesiæ cathedralis pretiosa,  
 libros meliores cum clenodiis quam plurimis, OTTO  
 RUTHIUS, filius iniquitatis ille, ut cum JUSIENO loquar,  
 excussit, diripuit & demum in Daniam, more ma-  
 jorum deportavit. Nostra memoria Muscovitas i-  
 terum parili ad abolendam veterem in gente ho-  
 stili memoriam, æmulatione & instituto concurrisse,  
 multa sunt quæ nos docent testimonia. Codices  
 & acta non unius generis, flagrante bello nu-  
 perrimo, hinc in Moschoviam translata fuisse, au-  
 ctor libri, qui *der fluge Hofmeister* inscribitur, (x)  
 testatur. Hoc certum est, transmigrasse in Russi-  
 am, tempore novissimo illo, reliquias S. HENRI-  
 CI: non argenteum caput & brachium illud, quod  
 MAGNUS TAVASTIUS episc. olim in ecclesiæ usum fi-  
 eri consecrarique voluit; verum ossium fragmina  
*beati* illius, quæ eo usque majores servaverant.  
 Quorum culpa non ego temere judico. Certe  
 negligentiam non nullorum gentis nostræ in cu-  
 randa & asservanda temporis præteriti memoria,  
 imprimis vero annalibus & chronicis, perstringit  
 non præter meritum MATHESIUS, diss. de O-botri-  
 a auctor clarissimus his verbis: (y) *ubi apud privo-*  
*tes, inquit, homines cogitaveram me reperiturum acta*  
*regni*

regni & nationis diligenter servata, ibi videre coactus sum, variis modis hæc distrabi, & eoquis imprimis & ancillis in culina submitti. Quod idem queritur auct. diss. de laudatione funebri, (z) qui heroum defunctorum carmina ex inscitia vulgi periisse ait, & hodie eis non nisi infimum penes infimos assignari locum. Ne quid de heroum & magnatum sepulcris eorumque titulis, supra victoriam olim, gentilium religione evertis, memorem, quæ itidem nostrorum sive temporum sive hominum vitio, una cum triumphalibus ornamentis suis disjecta atque temerata vidimus. Non dubito multorum, qui minus lacris hisce imbuti, aut qui de pane lucrando unice sunt solliciti, eam esse mentem, quod ad literariæ rei concinnitatem usumve, istiusmodi rerum, quæ vetustate dudum obsoleverunt, cura atque memoria admodum non multum proficiat. Verum cum sit ille non in ultimis, scopus studiorum nostrorum, ut recte & prudenter agamus. quin ad illum finem ægre quis pervenire possit, nisi per collationem præsentium cum præteritis impigre & assidue factam: quis quæso disciplinæ illi, in ceteris vitæ instruendæ doctrinis, suum pretium denegabit, quæ rerum a majoribus gestarum recensionem institutionemque complectitur? quis non videt egregium medium in interiores prudentiæ recessus penetrandi denegari iis, quibus antiquitates patriæ, cum qua omnia nobis communia sunt, nullo loco constituuntur: quibus adminicula provehendi studii

studii illius despiciuntur, calcantur, abjiciuntur. Verum de causis deficientis historiæ nostræ ista, pro quantumque sagacitate ingenii nostri in medium contulisse sufficiat : ad illud quod reliquum munus est penitumque memet alio tempore v. D. revocabo.

(u) *Scand. ill. tom. X. p. 21. conf. Spiegel. hist. eccl. pt. 2. lib. 7. c. 1. p. 396.* (x) *addis. ad imper. Moschovis. §. 13.* (y) *in prefat. (z) pag. 44.*

## CAP. III.

## COROLLARIA.

- I. *Historia usum in omnibus disciplinis manifestum esse, censemus.*
- II. *Per delectum ingeniorum in scholis & gymnasiis succrescentium, non æque per promiscuam fertilitatem eorum) felicitatem reipublica promoveri existimamus.*
- III. *Nundinationem honorum & munerum in republ. justo prudentia & literarum fastigio, obicem ponere contendimus.*
- IV. *Studiis academicis, vitæ, non scholæ attemperatis, pietati nil derogari asserimus.*
- V. *DEUM interno & externo cultu esse colendum, contra Thomæsum defendimus.*

## Corrigenda.

Pag. 24. lin. 13. lege §. VI. pag. 37. lin. 9. I. Lubecensis.  
 lin. 20. I. JOHANNE II. pag. 39. lin. 11. I. Strengnesiensis.  
 lin. 20. I. BENZELIUS. lin. ult. I. sperarent.

18  
-3V  
019  
mur

Öfwer

Respondentens och Auctorens  
Herr ERIC RENSERMS  
berömliga Disputation,

Wæa tu som hurrigt fold, tapra Gøther fordom hyste,  
Du som från then första tid, tina sändt til alla land,  
Du som af titt wett och mod, fordom högt och prächtig lyste,  
Du som pristes widt och bredt, ja, wid sielfwa Grakers sträd;  
Säg hwæ är the hieltars lof blifwit, och the stora dater,  
Hwæ är tina Skalders werck om tin' Kungar, Potentater?  
Mer' ret höller stuler them: rost och mahl them tår' och åter,  
Eld och brand them länge sen lagt i aska, stoft och mull,  
Främmand delja giömma them sielfwa tiden minskar, fräter,  
Af wår Nordsta skrifter förwerlden nästan blifwit full:  
Summa: Gwæ åhros, told, monumenter, åhrestoder,  
Gwunnit bort och gått sin los, såsom rinnand' wattustoder.  
Mer then härom weta wil, hwart wår' skrifter tagit wägen,  
Hur' the blifwit förda om, hur' the släpats af och an:  
Then i richtig sammanhang alt at läsa är förlägen,  
Sådant sti thetta werck nogsam se och sinna kan;  
RENSERMS oförtrutna slit, witttra arbet' lär' beröma  
Manheim, och wårt Helicon olönt aldrig heller giömma.

Uttrade sin sågnad thes vprichtigta  
wån.

BENED: BERGENHOLTZ,